Subito excitati, ut quae his annalibus gymnasii nostri praemitterentur pauca conscriberemus, aliis quae modo ad Platonem modo ad Ciceronem revocabant abjectis consiliis sumere materiam operae pretium duximus ex iis ipsis in quibus modo versabamur studiis. Etenim hortantibus amicis quibusdam, quibus difficile videbatur non morem gerere, ne in scriniis latere pateremur conversa a nobis olim studiose in patrium sermonem carmina Horatii, quum tandem chartulas, in quibus ista perscripta habebamus, colligere in ordinemque redigere coepissemus, ut propediem typographo tradi possent, moram attulit veluti daemonii alicujus vis, parum decere admonens ita nudam emittere interpretationem optimorum carminum, quae nuper incredibili hominum quamvis doctorum audacia vehementer tentata necdum satis undique defensa atque munita merito aliquid praesidii requirerent a quovis pio hujus poetae amico, qui ejus denuo tractaturus poemata non leviter haberet crimina gravissima. Itaque decrevimus commentarium adjicere, quo accuratius ea potissimum explicarentur et illustrarentur, quibus vel neglectis vel non intellectis temereque detortis maxime factum videbatur, ut scatere haec carmina putarentur vitiis, quibus secando et urendo mederi necesse esset. Hoc autem persequenti consilium mox persuasum est, non satis esse, in singulis carminibus interpretandis quid quoque modo erratum videretur demonstrari, sed, quo facilius certiusque arguerentur errores, etiam in causas eorum accuratius inquiri oportere.

De his igitur curis nostris, in quibus modo eramus, quaedam hoc loco promere placuit, quibus copiosius exponendis in commentariis, quos interpretationi horum carminum germanicae adjiciemus, non locus erit. Habebit autem omnis haec disputatio adversariorum speciem, quibus potissimum P. Hofmani Peerlkampi criticam factitandi rationem examinabimus: eaque duplex erit, uti res ipsa vel suadere vel cogere videtur. Nam quum errorum, quibus deceptum Peerlkampum maximis esse nos cum plerisque arbitramur, duo occurrant genera, consentaneum est, qui refutare illum velit, de utroque eum genere eorum errorum dicere oportere atque utriusque causas aperire.

Intelligendum est enim vel maxime, non illud unum fefellisse virum doctissimum et sagacissimum videri, quod omnino in aestimanda carminis lyrici arte perspiciendaque inventionis, compositionis, tractationis ratione, tum dijudicanda orationis elegantia, venustate, gravitate nimium suo sensu arbitrioque confisus est: sed accessisse aliud, quod hanc fidu-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ciam vehementer confirmaverit et auxerit ampliusque moverit ut progrederetur, donec difficile esset suspicandi et condemnandi libidini modum et finem ponere. Nimirum ex iis quae in epistola ad Descurium scripta, quam praefationis loco recensioni suae praemisit carminum Horatii, copiose disputavit, fundamentum ipsum et firmamentum omnis illius, quam secutus est, criticae rationis Peerlkampo fuisse in promptu est, quod illud quidem omnino constare ei persuasum fuit, scatere haec carmina, ut nobis sint tradita, interpolationibus iisque antiquissimis; testari hoc ipsorum veterum testimonia, confirmare rei literariae illorum temporum rationem studiorumque consuetudinem, probare doctissimorum sapientissimorumque hujus aetatis virorum auctoritatem. Et tempore quidem prima ei dubitandi causa, ut aperte ipse est professus, profecta est ab ipsorum carminum multorum difficultate et obscuritate, quae interpretari conanti incredibilem molestiam intellectusque impedimenta visae sunt talia objicere, qualia a boni poetae arte alienissima essent habenda: deinde autem, quum ipse de interpolationibus suspicari coepisset, vehementer eum auctoritas movit Marklandi, quem quum non suspicari, sed confidenter affirmare videret, cum in aliorum veterum scriptorum tum in Horatii libris tam multa spuria et inepta esse tradita, »ut si isti auctores revivescerent, in multis sua scripta non agnoscerent«, similiterque quum alios insignes viros judicasse reperiret, inde jam acris ingenii homini, quasi nebula quae menti offusa fuerat dispulsa, omnis victa est haesitatio; quippe jam causa una verissima aperta videbatur omnium istarum, quae frustra interpretem cruciarent, difficultatum, ac simul via recta et simplex monstrata, qua, quidquid in optimis carminibus inepti aut obscuri aut alioqui vitiosi, quod Horatio indignum videretur, offenderet, id tolli oporteret, scilicet sagaciter deprehendendis et severe ejiciendis locis spuriis. Sed quoniam gravissima ista de interpolationibus suspicio, primum e vitiis ipsorum carminum orta, ita demum satis valere omnibusque commendari posse videbatur, si etiam historiae auctoritate confirmari posset, cupide de hoc genere quaecunque aliquam testimonii vim aut speciem haberent conquisivit, quibus deinde certo argui docuit, qui nobis traditi sint carminum libri Horatii non solum, ut a plerisque sit creditum, verborum scripturam valde corruptam habere, sed multo majora traxisse vitia, antiquissimo illa tempore nata ex infelici interpolatorum et imitatorum opera, quorum inventa quum mox partim mala fraude partim librariorum errore ipsius poetae carminibus adscripta essent, mature incredibilem multitudinem spuriorum versuum illatam esse, quibus contaminati deinde hi carminum libri per omnia tempora ad hanc aetatem sint propagati. Hoc vero modo quum Peerlkampo firmissime esset persuasum, certis historiae testimoniis constare, in Horatii libris jam antiquissima aetate plurima addita esse aliena, primum consentaneum erat, ad hoc eum genus alieni interpolatorum et imitatorum artificii referre, quaecunque inepta, obscura, inextricabilia Horatioque indigna viderentur: deinde autem fieri non potuit, quin sapientis ac fortis interpretis et critici summum munus esse censeret spuria ista omnia sagaciter indagare, acute arguere, severe ejicere; quo eum munere nemo negaverit strenue et diligenter functum esse.

Contigit non id ipsum agentibus, ut simul, unde profectus quoque modo progressus ad illam quam secutus est criticae factitandae rationem suam Peerlkampus pervenisset, demonstraremus: qua in re nihil ipsi finximus, sed brevius nostro modo retulimus, quae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ille in epistola ad Descurium data sincere omnia professus pluribus enarravit. Sed quum maxime propositum esset duplex genus errorum discernere, quibus captus vir doctissimus ad audaciam istam abreptus esset, eodem hoc loco, antequam ad refutationem nostram progrediamur, quoniam id ad perspiciendam accuratiusque judicandam Peerlkampi rationem nonnihil valere arbitramur, duo praeterea animadverti velim, quae comparatio docet utriusque erroris. Unum est, quod uterque error manifesto magnam vim habuit ad alendum, augendum, confirmandum alterum: de carminum vitiis error firmavit de interpolationibus errorem, de interpolationibus error alterum de vitiis carminum errorem firmavit. Nimirum difficultate carminum impedito et de idonea explicatione laboranti ac desperanti quum suspicio ac paene persuasio de interpolationibus oblata esset, ejus autem etiam confirmatio quaerenda videretur ex historia librorum, quibus perscripta carmina Horatii posteritati essent tradita: quo tandem censes animo pervestigata ab eo et judicata esse, quae videretur testari historia? Nempe ut fieri solet, quae vehementer velis evenire, ea ut speres et credas esse eventura, ita voluntas et cupiditas quamvis gravi in viro et constanti movit et firmavit credulitatem, ut historiam multo plura et majora et certiora testari sibi persuaderet, quam qui aequo judicio utatur reperire potuerit. Verum non minus certam hanc de interpolationibus persuasionem interpretis muneri obfecisse apparet. Quum enim, ubicunque in carminibus Horatii difficiliora et impeditiora offenderent aut quae minus apte vel inventa vel composita viderentur, jam facillimum illud remedium in promptu esset, ea ut pro spuriis haberentur et resecarentur, consentaneum est eo valde affectam esse explicandi diligentiam minutamque in aestimando et expendendo eo, quod aptum dignumque poeta esset, cautionem et prudentiam: quae res tanto magis homini doctissimo fraudi fuit, quod eo tempore, quo hoc critici munus suscepit, omnino parum modeste de intellectu suo Horatii carminum existimasse videtur.

Alterum autem quod comparandis inter se utriusque generis erroribus intelligi volebamus, nescio an etiam gravius sit, quia ex eo simul patet, quo potissimum in loco quoque modo sit impugnandus Peerlkampus quibusque praecipue quasi armis et praesidiis omnes ejus errores sint evincendi. Quippe intelligendum est, quamquam ille firmamentum sibi gravissimum criticae suae in historiae testimoniis esse putavit, quae quidem visa ei sunt esse testimonia, tamen causam ipsam ac principium maximumque momentum omnis ejus audaciae fuisse firmam istam de indignis vitiis plurimorum carminum persuasionem, quae vitia nulla nec interpretandi arte nec judicandi aequitate tolli vel minui aut excusari posse viderentur: nam ea demum opinio ita animum perculit, ut, cupide arrepto quidquid aliquo modo de fide librorum suspicionem movere posset, non dubitaret plurima ut spuria condemnare, findens nodos ense, quos solvi posse diffideret. Atqui de istis ipsis vitiis magna, quin summa est quaestio: quae si argui possit ficta esse interpretis errore, omnis ista critica ratio conciderit; nam altera de fide librorum dubitatio, nisi valde sit confirmata, ad ea quae alioqui satis sint defensa ac munita, nihil pertinebit. Itaque graviorem partem omnis contra Peerlkampum disputationis critica quadam interpretandi ratione contineri intelligitur, qua et quid voluerit poeta quamque artis rationem in quoque carmine secutus sit accurate demonstretur, et Peerlkampum certo arguatur opinionis errore de indignis vitiis cogitasse, sive quod non intellexerit poetam artisque poeticae rationem, sive quod iniquo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

arbitrio boni poetae carmina pariter omnia atque ab omni parte perfecta esse oportere statuerit: id quod et posse effici, si non segniter rem agas, et ut efficiatur in primis nunc idonei interpretis horum carminum officiis esse arbitramur.

Sed his expositis postquam quasi fundamenta locavimus omnis adversus Peerlkampum disputationis ipsis causis apertis errorum omnique ratione demonstrata, quam secutus ille ut ita audacter in Horatio criticam factitaret deductus esset, jam in arguendo utroque genere errorum ita versabimur, ut primum de iis dicamus, qui ad auctoritatem pertinent cum doctorum virorum hujus aetatis tum veterum quorundam testimoniorum, qua auctoritate severo critico ista de multis et magnis interpolationibus horum carminum suspicio sua unice confirmari visa est: quem locum, si satis habebimus ea quae rem continent persequi, hac scriptione fere absolvere licebit. Altera autem disputatio, qua vitia ista, quae Peerlkampus plurima et maxima Horatioque omnino indigna sibi visus est in his carminibus deprehendere, ficta esse interpretis errore demonstrandum est, quum latissime pateat omninoque ad omnia quae tentata ab illo sunt carmina referri debeat, adeoque ad alia quaecunque simili ratione posse videantur tentari, ea omnia ut accurate secundum poetae sententiam explicentur et illustrentur: consentaneum est, hoc defendendi auctoris carminum refutandique accusatoris munus suscipi non posse nisi paullo majore in opere, quo omnia quinque librorum carmina idoneis commentariis illustrentur. Hujusmodi autem commentarios qualescunque quum nos supra promiserimus interpretationi horum carminum germanicae nostrae adjecturos esse, hoc loco satis visum est uno insigni exemplo docere, miro modo Peerlkampo accidisse, ut ad sententiam poetae artemque poeticam quasi caecutiverit, suisque erroribus maximis finxerit vitia, quae ut tolleret, incredibili licentia monstra quaedam genuerit interpolationum: quod si contigerit evincere, certe credibile videbitur, quem in uno eoque illustri carmine, quid voluerit poeta quoque modo tractaverit argumentum, omnino potuerit latere, eum eodem modo interpretem in aliis ceterisque omnibus quae tentaverit carminibus errare potuisse nec debere ejus interpretandi arti et criticae factitandae rationi magnam fidem haberi. Sed in utraque disputationis parte acrius agendum erit cum propter Peerlkampi pertinaciam, tum quod ei etiam primarii viri de nostris hominibus partim adstipulati sunt; in quibus nos non habemus O. Gruppium, cujus liber quem Minos inscripsit gallica levitate quam germanica diligentia nobis dignior est visus, sed post G. Hermannum vel maxime A. Meinekium. Ipsius autem Peerlkampi memorabile est quod in nova horum carminum editione sua, quae Amstelodami prodiit a. 1862, olim Eichstadio a se responsum retulit, quum is se sperare ad eum scripsisset, facilius fore ut utriusque inter se conciliarentur sententiae, si contigisset aliquot dies una esse de Horatio *συμφιλολογοῦσι*. Quippe Peerlkampus, qua est confidentia, renuit ac nisi mathematica ratione se errasse demonstraretur, cessurum se esse negavit: in qua eum postea mansisse sententia certo colligas ex eo, quod alioqui ista aut non tradidisset aut jam secus sibi videri admonuisset. Nos vero, quum ipsi mathematicae rationi in hoc disputationis genere non sit locus, certe operam dabimus ut demonstratio nostra quam proxime ad severitatem illius disciplinae accedat.

Primum igitur de interpolationibus Horatii carminum vehementer fefellisse Peerlkampum diximus virorum doctorum auctoritatem. Arroganter ac temere faciunt, qui magnorum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

virorum negligunt judicia: sed eorum si male abutare auctoritate quantos possit in errores incidi, novo exemplo docuit Peerlkampus, qui aliorum plus aequo tribuit sententiae, aliorum ad suum arbitrium judicia interpretatus est, unius principis iniquum sibi silentium callide ita excusavit, ut id certe non adversari suae opinioni videretur.

Nimium omnino in hac re auctoritati tribuit Marklandi, tum Valckenarii et de superioribus Guieti, qui omnes, quamvis docti homines et ingeniosi, in critica factitanda rationem secuti sunt hodie nemini eorum qui sapiunt probatam. Satis hoc loco erit pauca de uno Marklando dicere, cujus imprimis videre licet admiratione captum Peerlkampum fuisse, quum istam de interpolatione Horatii carminum suspicionem confidentius persequeretur. Narrat igitur Peerlkampus, quum post miseros in multis Horatii carminibus explicandis cruciatus, quae nec intelligeret nec posse intelligi crederet, tandem ad eam deductus esset sententiam ut multa spuria invecta esse suspicaretur, opportune se denuo incidisse in haec Marklandi verba in epistola ab illo Supplicum Euripidearum editioni subjecta, quibus omni sit dubitatione liberatus: *„In Horatio post omnia, quae in eum scripta vidi, innumera sunt, quae non intelligo. In toto opere vix una est Ode, Sermo vel Epistola, in quibus hoc non sentio, dum lego. Neque adeo miror; cum haec obscuritas a posteris invecta fuerit. Horatius enim, Virgilius, Ciceronis nonnulla... in scholis praelegebantur pueris, et in singulis fere Monasteriis lectitabantur: inde tot spurii et inepti versus in Horatii et Juvenalis Hexametris...., ut, si isti auctores reviviscerent, in multis sua scripta non agnoscerent“*. Haec vero quum legeret, imprimis duo vellem animadvertisset: unum, non satis latine scivisse Marklandum; alterum, parum eundem quid aptum aut elegans esset tenuisse: ex quo colligi oportebat, non esse illum idoneum arbitrum de iis, quae in veterum poetarum latinorum carminibus pro vitiosis essent habenda. Primum enim bis in illa ipsa oratione vitiose indicativo modo verbum positum est, ubi conjunctivo opus erat: nam in utroque illo *„innumera sunt, quae non intelligo“* et *„vix una est Ode, Sermo vel Epistola, in quibus hoc non sentio“* grammatica ratio et ipsa sententia necessario postulabat conjunctivum modum *„quae non intelligam, in quibus hoc non sentiam“*. Non opus videtur plura de hoc genere vel ex una illa Epistola Marklandi colligere: sunt enim quae in scribendi ratione offendant plurima, velut *„Haec sunt verba (Caes. B, C. I. 35. publice iis concesserit) Massiliensium, non Caesaris in sua persona“*. Sed non minus alterum mirere, nihil movisse Peerlkampum, quod, quum illud ipsum ad quod provocavit judicium Marklandi in fine positum sit disputationis criticae, qua auctor fere viginti Horatii locos corrigere conatus est, omnis ea disputatio non magis infelicem quam imprudentem interpretem Horatii arguit. Velut quid infelicius excogitari potuit, quam pro Horatiano *„Mors et fugacem persequitur virum“* scribendum esse *„Mors efficacem persequitur virum“*. Quid imprudentius, quam in Horatiano (III. 3) *„visere gestiens, qua parte debacchentur ignes“* corrigendum esse *vincere gestiens“*: quasi posse bello vinci desipiens poeta senserit ignes istos victosque et occupatos imperium romanum opulenta provincia augere, quum recte et magnifice ille significaverit, progessurum impavido ac laeto animo Romanum esse ad extremas oras quousque habitabilis esset orbis terrarum. Tum monstruosum est, quod idem in nobilissimo illo *„Te pauper ambit sollicita prece ruris colonus, te dominam aequoris, quicunque“* etc. distinctionem poni voluit post vv.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„prece“ et *„ruris“*, *„hac constructione: pauper colonus sollicita prece ambit te, dominam ruris; nauta ambit te, dominam aequoris“*. Non sensit, quam contortam atque inextricabilem orationem tribuerit optimo poetae, qui eleganter ruris colonum posuit pro vulgari agricolae vocabulo, quemadmodum nos lyrico in carmine apte dixerimus pro *Ackerbauer Bauer der Flur:* nec verum est, quod idem *„colonum ruris“* non magis ferendum dixit quam *nautam maris“;* nam in illo sentitur vis verbi colendi, ut non minus quam in agricolae nomine intelligatur qui rus colat, quale non est nautae nomen, sed simile illi fuerit, quamquam non eleganter dictum, navigatores maris, quoniam navigare maria dictum est. Sed ne plura de hoc genere: satis enim demonstratum videtur, Marklandi auctoritate tantum abesse ut merito censuerit Peerlkampus suam de interpolatione Horatii suspicionem insigni modo commendari et confirmari, ut ea potius admoneri debuerit, ne suae sententiae nimium confideret: nam ille eo ipso loco, quo in carminibus hujus poetae plurima esse jactavit spuria, eam rem docuit non esse sui judicii.

At enim in eadem sententia fuit Ruhnkenius, quo nemo in hoc criticae genere prudentius et modestius versatus est. Non dixit quidem Peerlkampus illum hoc ipsum pronuntiasse, Horatii carmina valde esse interpolata: sed alio modo in ejus auctoritate firmissimum sibi praesidium esse voluit ad suam tuendam et confirmandam in Horatii libris corrigendis rationem. Adscripsit ex epistola critica Ruhnkenii I. aurea verba, quibus is explicat, qui fiat ut interpretes, quae in veterum scriptis falsa sint et suppositicia, non animadvertere soleant: plurimos enim hebetiore esse ingenio nimisque inertes ad tam severi res judicii tractandas; alios autem quamvis et ingenii sagacitate et doctrina praestantes vel parum curare hanc partem criticae vel per multos et varios scriptores desultoria quadam levitate ita vagari, ut cum nullo interiorem contrahant familiaritatem, cujus penitus ingenium dicendique formam cognoscant, ut, quid γνήσιον sit quid ὑποβολιμαῖον, sentire et quasi gustare possint; sed maximam longe vim esse superstitionis cujusdam, de qua re ipsius haec verba sunt: *„Denique multo plurimos nescio quae puerilis incessit superstitio, ut non audeant ea supposita dicere, quae tot homines eruditi tot saeculis pro veris et germanis habuerunt. Quo hominum genere nescio an nullum sit impudentius et literis nobisque magis molestum. Nam quod angustiae pectoris sui non capiunt, non solum gravi supercilio damnant, sed etiam invidiose clamant, hoc demum esse urere, secare, mutilare“*. Haec quomodo Peerlkampum moverint, in promptu est. Quum enim sibi nec ingenii acumen nec doctrinae copiam et subtilitatem aut sollertiam deesse sentiret, praeterea autem cum Horatii ingenio dicendique forma intimam familiaritatem contraxisse sibi videretur, non committendum putavit, ut puerili superstitione impeditus non auderet ea supposita dicere et ejicere, quae quamvis tot saeculis homines eruditi pro veris et germanis habuissent, ipse manifesto intellexisset spuria esse. Nobis vero vehementer verendum videtur, ne Ruhnkenius si revivisceret, ut fere cum Marklando loquamur, aegerrime esset laturus, suae praesidio auctoritatis isto modo in Horatii carminibus grassatum Peerlkampum esse, in quo nec ingenium ille quidem nec doctrinam nec fortitudinem desideraret, sed doleret opinor male abusum eum his virtutibus esse omissa modestia et circumspectione, doceretque, si vellet, interpretis errore plurima pro spuriis habita esse, quod non recte intellecta essent aut

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aestimata. Denique nihil est in illis Ruhnkenii verbis, ex quo ipsum de interpolationibus Horatii cogitasse colligi queat.

Sed in auctoritate adhibenda clarorum virorum vel maxime incommodum Peerlkampo accidit, quod princeps eorum, qui castigandis Horatii carminibus operam dederunt, R. Bentlejus de tot tantisque eorum interpolationibus nihil suspicatus est. Excusare id quodam modo Peerlkampus conatus est, ne adversa sibi illius auctoritate suae fides suspicionis minui videretur. Sed nescio an nemini persuasurus sit, fortuito accidisse Bentlejo imprudenti, ut ista non animadverteret vitia, quoniam is in commentariis suis, subito opere ut ipse sit professus, id potissimum operam dederit, ut in singulis versibus vitiosam verborum scripturam corrigeret neglecta alioqui explicatione carminum, quam qui accurate tractet, eum demum alius generis vitia ista animadvertere; praetereaque, ut recte sit a Valckenario monitum, „*oportere aliquem de ista librariorum fraude cogitare, ni imprudens et aliud agens falsa pro veris accipiat*“ [h. e. facile fieri ut, qui, veterum scripta dum legat, aliud agens de ista librariorum fraude non cogitet, is falsa pro veris accipiat], „opusque esse *animo primum fraudi deprehendendae intento, deinde consuetudine, forma et habitu scriptoris adeo imbuto, ut, quidquid ab his diversum sit, eo statim afficiatur idque sentiat*“. De his vero, ut omittamus, perpetuam et cupidam de fraude cogitationem magnum periculum afferre ne quidquid displiceat quamvis recte se habeat pro spurio habeatur omninoque libera et recta intelligendi et judicandi ratio turbetur et evertatur, illud quidem concedimus, qui animo toto in unum quoddam genus rerum intento scripta aliqua legat, eum fugere facillime posse quae sint alius generis: at hoc audemus dicere incredibile esse, Bentlejo, quum carmina Horatii a primo ad ultimum diligentissime pertractaret, accidere potuisse, ut in verborum emendandam delectus et compositionis rationem intentus omnino caecutiret ad majora eorum carminum vitia eaque tot ac tam horrenda, qualia Peerlkampus sibi visus est deprehendere. Neque enim illius ea mediocritas fuit ingenii, ut in verbis haerens posset nihil curare sententiam aut negligere in compositione carminis si quid indignum esset poeta optime sibi cognito: sed quum ille pauca quaedam, Carm. IV. 8. et Epod. 5., ut spuria notaverit, cetera ei persuasum fuisse credibile est nihil interpolationis habere. Denique quum non immerito ne hujus quidem viri, ut neminis mortalium, immune judicium erroris fuisse dixeris, certe parum Peerlkampus causam suam commendavit eo, quod levissimae Marklandi suspicioni posthabuit auctoritatem Bentleji.

Omittimus alios, quos in eadem ad Descurium epistola commemoravit, de quibus quod Jos. Scaliger et N. Heinsius nihil de interpolationibus Horatii suspicati sunt, etiam excusandum putavit. Sed in altera editione sua carminum eo loco, quem novum repetitae epistolae illi subjecit, maxime Godofredi Hermanni, tum etiam A. Meinekii auctoritate nisus est, qui rationem suam insigni modo comprobaverint: sed etiam illorum virorum judicio veremur ne nimium confisus sit. Refert quod Hermannus in programmate a. 1842 scripsit: „*etiam literatis hominibus accidere, ut ea, quibus a puerili aetate assueverunt, omni erroris suspicione exclusa pro veris habeant: insigne exemplum praebere carmina Horatii, quae omni tempore lectitata explicamus, laudamus, admiramur tanta credulitate, ut etiam ad claram lucem coecutiamus: soporem illum excuti coeptum in editione Harte-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mensi, cujus tamen auctorem nunc longius, quam par erat, nunc non eo usque, quo oportebat, progressum". Horum prius illud quis non concesserit, vi consuetudinis facile fieri, ut quae a pueris cum pia quadam admiratione lectitaverimus, ea quamvis vitiosa etiam viri facti caeca quadam admiratione prosequamur: de altero vero, quoniam nobis Peerlkampi suspicionum causam fere omnem a falsa aut iniqua interpretandi ratione profectam esse persuasum est, ne Hermanni quidem auctoritate, quamvis illum pie veneremur ut neminem mortalium, secus nobis persuaderi potuit. Ac vellem Peerlkampus in Hermanno non omisisset, quod de Jos. Scaligero et N. Heinsio, tum de Bentlejo de industria admonendum putavit, illos Horatium non eo consilio legisse ut in lucem ederent, hunc non operam dedisse accuratae explicationi. Certe si Hermannus in Horatii carminibus explicandis illustrandisque pari diligentia versatus esset, qua eum olim in scholis suis Pindari carmina et Aeschyli Sophoclisque fabulas interpretantem admirati sumus, non dubitamus, quin ille facili negotio ac certo judicio, quae Peerlkampus vitia deprehendisse sibi visus esset, ea docuisset maximam partem nulla esse totaque interpretationis errore ficta, partim autem minora ac talia, ut ea minime incredibile esset ad auctoris negligentiam quandam esse referenda. Nunc Hermanno, qui fere unice graecis poetis delectabatur et de latinis maxime Plauto, Horatium autem, quem puer adamaverat, postea prae illis si non contemnebat, certe parvi aestimabat raroque si res ferret attingere solebat, quod haud mirere accidisse videtur: subito perlustrata speciosa disputatio hominis non minus ingeniosi quam eruditi vehementer placuit, quamquam persequenti commentarios alia aliis magis minusve probata sunt, alia improbata. Accuratiusne postea ac severius rem exploraverit, non constat, nobis parum credibile videtur: sed omnino viri sagacissimi operam laudandam putavit. Plus ego hac quidem in re Hermanni judicio non tribuendum crediderim, sed nonnihil fortasse ardori illi ingenii, cui facile placerent, quae acuminis Bentlejani speciem prae se ferrent idoneaque doctrinae copia commendarentur*). Praeterea

*) Non movit aliter ut existimaremus, sero quum quae supra posita sunt jam typographo tradita essent, denuo perlecta omnis illa dissertatio G. Hermanni de primo carmine Horatii, quae nescio an tota subiti opusculi speciem habeat magno ingenio viri in majoribus plerumque atque illo ipso tempore quaestionibus occupati. Propositum ei fuit illius exemplo carminis docere, Horatium nostrum interpolationibus laborare: ad eam rem pertinet de quinque paginis una, in ceteris docte et ingeniose verborum scriptura tractatur falsaque interpretatio castigatur I. 29, 6. I. 7. Interpolatum autem Hermannus arbitratur et initium et exitum carminis, *primosque duos versus et duos postremos confictos ab aliquo esse, qui carmen illud quod primum esset, patrono Horatii Maecenati dicandum fuisse putaverit.* At quidni Horatius ipse ita faciendum putaverit? Nam et Satirarum librum primum ad illum misit, *Qui fit, Maecenas ut nemo quam sibi sortem:* et quum Epistolarum librum primum sic orsus est, *Prima dicte mihi, summa dicende camena*, merito eum illud ipsum respexisse credideris, quod eidem olim prima carmina sua dicaverit; nam *prima camena dictum* appellasse videtur primo lyricis carminibus sibi celebratum. Accedit autem, quae hoc exordium vel maxime tuetur, gravissima auctoritas Martialis, quam cavendum est ne propter inanem aliquam opinionem temere eleves. Nam quod hic

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

autem quum de recentioribus secundum Hermanni plurimum A. Meinekii auctoritas valere videatur, qui Peerlkampi sententiam nonnullis in locis probandam omninoque non contemnendam duxit: adversus utrumque nostrae sententiae nescio an gravissimum praesidium sit in duorum virorum auctoritate, quibus neminem hac aetate in poetis latinis ad verae criticae normam explorandis diligentius versatum esse constat, C. Lachmanni et M. Hauptii; nam nec ille quamvis in interpolationibus deprehendendis sagacissimus et exercitatissimus, isto modo Horatii libros culpandos putavit, et hic in elegantissima illa, quae a. 1861. Lipsiae prodiit, editione carminum Horatii tantum non omnia quae a Peerlkampo tentata sunt constanter tuitus est. Gruppii vero auctoritatem nihil moramur: cujus Minoem invito vultu ridentem severo judicio hoc potissimum docere arbitramur, viam a Peerlkampo apertam si sequare adeoque audacius ipso progrediare ac vagere, jam in infinitum te oceanum abripi errorum, ut nulla re gravius deterreri potuerit a principiis istius generis criticae.

His autem expositis postquam satis demonstrasse nobis videmur, parum caute atque cupidius Peerlkampum judicasse, quod sententiam suam principum in hoc genere virorum et hujus et superioris aetatis auctoritate insigni modo commendari et confirmari putavit: sequitur ut ejus de fide librorum, ex quibus quae hodie feruntur Horatii carmina descripta sunt, disputationem examinemus. Vult enim non tantum dubium esse, num hi carminum libri ita, ut olim ab auctore sint editi, ad nos pervenerint integri, sed certum esse censet, eos non ita multo post obitum poetae multis modis interpolatos esse, easque interpolationes, quas factas esse certis testimoniis constet, indagare, arguere, ejicere jam gravissimum munus esse putat criticae, quod ipse suscipere ausus sit.

---

scripsit XII. 4., *Quod Flacco . . fuit . . . Maecenas atavis regibus ortus eques*, difficile est non videre consulto ita scriptum esse, ut respexerit ad exordium illud carminum Horatii *Maecenas atavis edite regibus*, quod a principio, ex quo edita vehementerque probata sunt carmina Horatii, omnibus cognitum atque in ore fuisse putandum est. His vero quum insigni modo ut genuini defendi videantur versus illi exordii Horatiani, quid tandem est, cur in suspicionem vocentur? Nimirum post tam magnificam appellationem Maecenatis magnum quid et insigne exspectatur, at sequitur res tritissima, longa enumeratio rerum earum, quibus pro suo quisque ingenio maxime delectetur, ut ab his quae sequuntur mirum quantum abhorreant et propemodum ridicula sit grandiloqua illa ab initio allocutio. Ad haec primum opus videtur moneri, certe quae primos versus duos proxime sequuntur, *Sunt quos curriculo pulverem Olympicum — Hunc si mobilium turba Quiritium* cet., nec verborum nec rerum magnitudine et splendore ullo modo discrepare a magnificentia ipsius allocutionis, ut ullam ridiculi speciem habeat iste progressus orationis; immo splendide facta commemoratio illa summorum honorum, quibus principes viri maxime sibi beati videantur, dignissima videri debet quae grandem appellationem Maecenatis excipiat: quamquam etiam postea omnibus locis dignitatem ita licet servatam videre, ut ornatu poetico etiam minora quaedam majorum speciem habeant satisque ubivis cautum sit, ne tenuem et languidam enumerationem rerum tritarum velut in vulgari disputatione accipere tibi videare. Sed praeterea maxime intelligendum est, hujusmodi carmen dedicatorium paullum adnodum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Intelligendum est igitur, quum duo sint genera argumentorum, quibus suppositicia quae in veterum scriptis esse videantur argui possint, unum eorum quae ex ipsis scriptis repetantur, ea ut tota aut partim abhorrere doceatur ab ingenio dicendique consuetudine scriptoris aut quaedam habere ab ejus aetate aut vitae condicione aliena, alterum eorum quae testimoniis antiquis contineantur, illud totum interpretationis arte tractandum esse, hoc autem, de quo jam dicendum est, unice in historica quaestione versari, ut fide explorata ipsorum testium sine ira et studio judicium constituatur. Jam testes veteres sive de aequalibus Horatii sive de proxima aut postera aetate, qui vel omnino illius carminum libros multis alienis auctos aut interpolatos esse prodiderint vel certa quaedam carmina pro spuriis habita esse monuerint, ut sunt nulli, ita nec afferri a Peerlkampo ulli potuerunt: de uno Suetonii loco infra dicemus. Sed alia multa collegit quamque aptissime ad persuadendum exposuit, quae vim quandam habere testimoniorum videri possunt. De qua disputatione, cui etiam haud pauca aliena a proposito adhibita sunt, omnino sic existimo: illud quidem, de quo omnino nemo dubitaverit, abunde esse demonstratum, posse, ut in aliis veterum libris, ita etiam in Horatii carminibus factum esse, ut qui eorum ad nos pervenerunt libri quaedam habeant spuria; sed id valde verisimile esse adeoque vix dubium esse quin maxime in Horatii libris misera ista interpolatorum artificia ingenti modo sint grassata, id quod voluit persuadere Peerlkampus, id tantum abesse dicimus ut sit probatum, ut plurimis iisque gravissimis, quibus ille ad suam commendandam sententiam usus est argumentis, etiam contrarium probari videatur.

---

differre ab epistola, quacum commune habet consilium scriptoris: sed differt ornamentis quibusdam poeticis adhibitis, quae et in orationis colore et in rerum amplificatione cernuntur. Huic rationi quae conjuncta sunt, paucis ostendere placet, quum hoc ipso loco tum infra ubi de compositione dicemus, quomodo in hoc carmen cadant. Primum quemadmodum saepe in epistolis fit, ut, qui scribit, eum ad quem scribit initio allocutus deinde varia exponat, ad ipsumque illum fere non redeat oratio nisi forte ubi postremo valedicitur (memineris vel illud *Qui fit, Maecenas*, vel Ciceronis exordium l. III. Tuscul. Disput. *Quidnam esse, Brute, causae putem.)*: similiter puta in hoc carmine ab initio Maecenatis allocutionem ita positam, ut quae deinde proxime sequuntur non ad illius potissimum personam pertineant, ad quem ipsum demum in fine carminis redit poeta. Illud autem res ipsa ferebat, ut non ita simpliciter appellationem Maecenatis poneret, sed laudes quasdam insignes adderet viri nobilissimi ac de se meritissimi, quibus quum admirationem ejus suam tum grati animi sensum significaret, quae ipsi causae fuissent illi potissimum haec dedicandi carmina: id quod breviter, sed gravissime et splendidissime fecit. nam rhetorice fere sic illa complectare, „vir nobilissime, cujus ego amicitiae et beneficiis maximis cumulatam et summo decore jucundissime ornatam vitam debeo“. Hinc vero v. 3 — 34. quae sequuntur quum in promptu sit hanc habere sententiam, „quantumvis aliis in aliis rebus summa sit voluptas, mihi summa ac divina voluptas est carmina pangere“: omnino cum his conveniunt postrema illa *Quodsi me lyricis vatibus inseres cet.* In quibus quod Hermannus vitiose omissum esse censet *tu* pronomen, poterat illud quidem additum esse, sed necessarium, ut mihi videtur, non erat. Animadvertendum est enim, quod ante bis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Possunt quae hoc loco multa ac varia ab illo sunt exposita, quibus fere ab initio fata horum librorum persecutus est, si illud unum maxime spectes de quo omnis haec est quaestio, ad duo capita revocari. Primum enim demonstrare conatus est, carminum libros Horatii haud dubie jam olim primis post obitum poetae temporibus plurimis esse interpolationibus contaminatos, idque non una causa unoque modo esse factum: deinde autem, ex talibus libris eo modo jam corruptis omnes, quibus nobis carmina illa tradita sint, libros manu scriptos manasse, ut non mirum sit hos plurima habere adulterina, quibus tollendis redintegrari oportere optimum poetam.

Priori illo in loco primum duas res Peerlkampus commemoravit, quas intelligendum est nullam omnino vim habere ad movendam, nedum confirmandam istam de interpolationibus suspicionem. Nam quum poeta carminum libros suorum singulos singulatim edidisset nec eos ipse in unum volumen coegisset, quod deinde ordo eorum librorum a librariis aliis aliter est institutus, in eo nihil omnino est, ex quo merito colligas, simul in ipsis carminibus quae quoque libro continerentur quidquam esse mutatum: nec magis ipsorum carminum integritati nocere potuerunt inscriptiones deinde singulis additae vel nominum eorum, ad quos scripta essent, vel rerum, ad quas pertinerent. Sed etiam alterum alienum ab hac quaestione est, quod verborum scripturam jam in antiquissimis libris librariorum imperitia corruptam esse animadvertit, idque etiam testimoniis confirmandum putavit, uno Ciceronis *de latinis libris quo me vertam nescio, ita mendose et scribuntur et veneunt*, altero Senecae, *librum, quem minutioribus literis scriptum saepe projecimus et mendosum lacerarimus.* Nam quid impedit, quo minus in libro quamvis mendose scripto nec demptum quidquam sit de auctoris oratione nec ad eam additum?

---

positum erat *me* pronomen v. 29. 30., id referri ad superiora in hunc modum, »ceteri homines alii aliis rebus beati sibi videntur, me unice beatum reddit divina vis poesis lyricae«: quibus ita compositis, praesertim post longiorem illam amplificationem Praedicati notionis v. 31 — 34. quumque in postremis »*si neque tibias Euterpe cohibet nec Polyhymnia lesboum refugit tendere barbiton*« omissa fere persona tantum lyrici generis esset significatio, nihil impediebat, quominus simpliciter subjiceretur »*Quodsi me lyricis vatibus inseres*,« ut tantum ex secunda persona v. *inseres* intelligeretur is qui in initio appellatus esset, non addito *tu* pronomine, quo is ab aliis distingueretur, qua hoc loco distinctione nihil opus erat. Omnino vero in talibus caute sua cujusque orationis forma partiumque ratio spectanda est, ne immerito offendant quae reprehensione carent.

De eo autem omnino consentimus cum Hermanno, hoc non in optimis esse carminibus Horatii. Laborat enim compositionis quodam vitio, loco secundario, a quo orsus poeta est, adeo copiose tractato, ut is praecipuae totius carminis sententiae speciem habeat, donec in fine aliud potius esse docemur, cujus amplificandi causa per comparationem prior ille locus sit adhibitus. Nam in rationem ipsam inventionis et compositionis si inquisiveris, sic fere statuendum esse reppereris. Commendaturus poeta Maecenati est haec quae ad eum mittit carmina. Id facturo haec primo videtur simpliciter sententia obversata esse: »mitto tibi haec carmina, quae si tibi placuerint, vehementer gaudebo«. [Obiter admone-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Non inutile duximus haec attingere, quoniam ita sunt exposita a Peerlkampo, ut omnino ad labefactandam ab initio fidem librorum spectare videantur, quo deinde propensiores legentium animi fiant ad accipiendam de interpolationibus suspicionem: itaque cavendum est, ne misceantur quae sunt diversi generis.

Jam vero non minus caute examinanda sunt, quae deinceps longiore oratione enarravit et disputavit, ut mox plurimos versus spurios ac tota carmina adulterina in Horatii libros illata esse probaret. Vult id factum esse partim casu partim fraude. Quum enim princeps ille lyricorum poeta maxime in deliciis haberetur ejusque post obitum admiratio etiam crescceret, factum esse, ut ejus carmina non solum multum lectitarentur a doctis omnibus quique se doctos haberi vellent, sed etiam studiose in scholis grammaticorum et rhetorum tractarentur: in his autem non tantum explicari simpliciter et illustrari solita esse carmina, sed exercendi ingenii facultatisque poeticae colendae causa etiam amplificandis poetice locis

---

mus, hoc quod modo posuimus »quae *si tibi* placuerint« si compares cum hac forma, »quae *tibi si* placuerint,« in promptu esse, quo modo a poeta scriptum sit *Quodsi me inseres*, non *Quodsi tu me inseres]*. Hinc autem amplificatio ita profecta videtur, ut primo haec mente fieret accessio, »mitto tibi haec carmina lyrica, *quo ego studiorum genere unice mihi beatus videor*,« deinde altera haec »quo ego studiorum genere unice mihi beatus videor *adeo*, *ut prae eo spernam cetera omnia, in quibus alii aliis summam sibi felicitatem et voluptatem quaerunt*«. His autem partibus constitutis materiae ubi jam ad disponendas eas et explicandas accedendum erat, hanc fere idoneam poeta sensit rationem esse, »licet alii aliis rebus maxime sibi beati videantur, mihi divina voluptas est carmina pangere«: sed horum utrumque quum uberius ideoque separatim utrumque exponendum videretur, accidit ut priorem locum, nimium invitante grata rerum varietate, justo longius sit persecutus. Quamquam observandum est, provisum artificio poetae esse, ne nimis impar videretur ratio esse duarum illarum partium. Quippe numerus rerum et verborum in priori parte major est: at pondus dici non potest quanto majus sit in altera, in qua majore spiritu elatum audimus poetam liquidam illam e divinis musarum artibus voluptatem praedicantem prae illis rebus, in quibus ceteri homines alii aliis summam sibi voluptatem quaerant, quam antea tecte significavit nullam non molestiis quibusdam suis laborare.

Denique ut ad Hermannum et Peerlkampum redeamus, hic vellem animadvertisset, ab illo in hac ipsa de qua diximus dissertatione caute ac prudenter sic pronuntiatum esse: *si quid ejusmodi est, ut indignum sit poeta tali, qualem Horatium fuisse videmus, in quo et cultissimus sensus venusti et acutissimum recti aptique judicium erat, confitendum est, id aut non esse ab eo scriptum, aut certe scribi non debuisse.* Quibus postremis verbis sapienter admonuit, cavendum esse, ne si quid nostro judicio displicere videatur, id audacter negemus ab Horatio scriptum esse aut potuisse scribi, quoniam minime incredibile sit, etiam illi aliquando accidisse ut ab optimis artis praeceptis aberraret.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quibusdam variorum carminum operam datam esse, denique etiam imitationi, ut de similibus argumentis tota carmina similia pangerentur: atque de hoc genere amplificationum et imitationum, quas quidem magistri sua arte factas discipulis commendassent, haud pauca credibile esse etiam libris carminum Horatii esse adscripta, quae deinde casu aut negligentia librariorum cum his confusa denique pro Horatianis sint habita. Sed accessisse fraudem tum vanorum poetarum tum cupidorum bibliopolarum: illos, quum Horatii carmina tanto in honore essent, de suis quaedam illi supposuisse, ut sua inventa clarissimi vatis nomine ornata viderent; hos, quod id sua interesset, cupide quaesivisse libros Horatii quovis modo auctos, eorumque exemplaria, quae quum inedita quaedam accessisse viderentur majore pretio vendere possent, summo studio multiplicanda curasse. Denique quum corruptorum hoc modo Horatii librorum multitudo in dies aucta esset, integra autem exemplaria mox pauca mansissent in bibliothecis maxime publicis, ingentem dejnde omnis generis librorum jacturam factam esse cum incendiis crebris sub imperatoribus tum postea barbarorum vastationibus, quumque saeculo p. Ch. n. sexto Mavortius Horatii carminum recensionem faceret, eum libris usum esse de corrupto illo genere multis versibus spuriis carminibusque suppositiciis foedatorum, quorum quum in iis tantum vitiis corrigendis elaboraret, quae in verborum scriptura deprehenderet, factum esse, ut omnes qui deinceps ad ejus recensionem descripti sint libri omnem istam farraginem interpolationum adulterinorumque carminum ad nostram aetatem propagarint.

His summam retulimus disputationis ejus, qua Peerlkampus historiae testimoniis quibusdam adhibitis demonstrare conatus est, jam prima aetate plurima carminum Horatii libris spuria admista esse. Sunt illa omnia jucundissima lectu et per se etiam omnia utilia: sed quae persuaderent id ipsum quod maxime voluit, factas revera esse ingentes interpolationes istas, frustra quaesivimus. Immo de multis ac variis, quae hoc loco auctor complexus est, sic arbitramur statuendum esse: quae vere testimoniorum veterum auctoritatem habeant, ea omnino non pertinere ad id quod arguendum erat; quae autem pertineant ad propositum, ea parum accurate conclusa atque cupidius judicata esse, quoniam contraria pariter aut etiam magis sint verisimilia; denique haud pauca ornatus cujusdam causa adjuncta videri, quae non possint nisi imprudentes fallere, ut ea ullam vim habere putent ad istam de ingentibus interpolationibus suspicionem vel movendam vel confirmandam.

Testimonia veterum duo attulit, unum Suetonii, alterum Plinii. Suetonii notum illud ex vita Horatii: *Venerunt in manus meas et Elegi sub ejus titulo et Epistola prosa oratione quasi commendantis se Maecenati. Sed utraque falsa puto: nam Elegi vulgares, Epistola obscura, quo vitio minime tenebatur.* Haec vero ita sunt scripta, ut in promptu sit, istos libellos singulares Suetonio in manus venisse, minimeque insertos aut subjectos eos elegos fuisse aut epistolam libro alicui, quo carmina ab omnibus pro Horatianis habita continerentur: alioqui auctor aliter locutus esset, ut se in librum incidisse diceret qui Horatii carmina falsis istis opusculis aucta haberet; praetereaque verba *sub ejus titulo* argumento sunt, nec quemquam credibile est ausurum fuisse elegos, quod genus Horatium non coluisse constabat, nedum epistolam prosa oratione scriptam carminibus apponere

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Horatii. Quo igitur jure ex his Suetonii verbis collegeris, jam illius tempore haud pauca spuria in Horatii carminum libros recepta fuisse? Immo manifestum ex eo loco est, integritatem Horatii carminum adeo tum servatam et custoditam fuisse, ut, si qui homo impudens sui ingenii inventa pro Horatianis venditare vellet, id haud ita facile contingeret: talia exclusa mansisse ex Horatii libris carminum contemptaque et abjecta ita esse, ut raro eorum exemplar aliquod vel curioso homini „in manus veniret". Praeterea propriam Horatii poematum indolem etiam tum certis notis cognitam fuisse intelligas, quoniam Suetonius non dubitavit ista falsa sibi videri dicere. Denique omnino alienum hoc Suetonii testimonium est ab ea disputatione, qua arguatur, adulterina multa jam primo tempore in libros Horatii carminum illata indeque ad hanc aetatem propagata esse.

Praeter hunc locum quae aliquo modo ad istam de interpolationibus Horatii suspicionem videantur referri posse veterum testimonia Peerlkampus nulla attulit, nisi forte huc trahas quod ex Plinii Epistolis attulit IX. 22.: *Passienus Paulus nuper ad lyrica deflexit: in quibus ita Horatium, ut in illis illum* [h. e. in elegis Propertium, de quo ante dictum est] *alterum effingit.* Commemoratis antea lyricis poetis cum aequalibus Horatio tum posterioribus, in quibus posuit Passienum Paulum, suspicari se Peerlkampus profitetur nonnulla illorum carmina, quae in tabernis jacerent intacta, hic illic Horatianis accessisse, id quod eo probabilius esse vult, quod constet lyricos Horatium aemulatos esse et in eadem saepe materie elaboravisse: cujus rei testem jam Plinium adhibet. At ista omnia hallucinatus est. Nam quae tandem idonea causa est suspicandi, de aliorum lyricorum poetarum carminibus quaedam Horatianis esse apposita? Alios exstitisse poetas lyricos constat, sed eorum carmina partim Horatianis esse adjuncta cumque his confusa, factumque id esse mira calliditate bibliopolarum, qui majoris lucri causa imprudentes fallere cuperent, nimirum nostrorum fere hominum more editionem alteram aut tertiam correctam et auctam promittentium: hujusmodi nihil usquam proditum est. Ergo quae tandem causa est, talia ut suspicere? Ceteris hominibus nulla, Peerlkampo una maxima: scilicet, quoniam multa in Horatii carminibus non intellexerat aut praeter obscuritatem aliis indignis vitiis laborare sibi persuaserat, cupide quaesivit, possentne ea vitia salva Horatii laude ad alios rejici auctores, ad interpolatorum genus et imitatorum. Plinii autem verba illa quid aliud continent, quam insignem laudem Passieni Pauli, quem simpliciter et candide ait felicissime Horatii artem aemulatum esse, ex quo, nisi temere quidquid lubeat finxeris, nullo pacto potest colligi quaedam de Passieni carminibus Horatio supposita ejusque libris adscripta esse.

Dehinc cetera persequamur, quae in eadem disputatione Peerlkampus exposuit, ut ea omnia nihil valere doceamus ad confirmandas illius suspiciones partimque inutilis ornatus causa adhibita videri.

Primum permiram conclusionem hanc fecit: carminibus et versibus adulterinis latinorum poetarum cum aliorum tum Horatii libros contaminatos fuisse vel inde constare, quod, quum graeci critici gravissimum officium haberetur tollere versus *παρεμβεβλημένους*, idem apud romanos officium fuerit critici: cujus rei quod Suetonii de illustribus grammaticis librum testem adhibuit, unum illud respexit, quod de Curtio Nicia narrans ex Ciceronis ad

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dolabellam epistola Suetonius commemoravit*). Ut omittamus, si de versibus παρεμβεβλημένοις quaeritur, quantum intersit inter Homeri et Horatii fata carminum, quorum in illis maxime graecorum criticorum curae versatae sunt: certe ex eo, quod omnino etiam apud Romanos grammatici in versibus spuriis indagandis latinorum carminum operam posuerint, minime licebit colligere, maxime ab iis in Horatii carminibus spuria esse indagata nedum revera in his plurima suppositicia esse deprehensa et notata. Atque etiam si hoc ipsum proditum esset, unum alterumve grammaticum veterem quaedam in Horatii carminibus ut spuria notasse, rectene isti censuissent, si suum tantum arbitrium secuti essent, de eo nobis liberum esset judicium non minus, quam olim in tali controversia Ciceroni esse voluerunt duo nobilissimi grammatici, ut ille ipse narrat in epistola ea quam modo commemoravimus: nec negaveris, etiam in veteribus grammaticis fuisse qui parum valerent judicio, multaque hodie rectius judicari quam olim ab illis. Denique ista, qua frustra Peerlkampus usus est, veterum grammaticorum auctoritas ita demum aliquam, quin maximam vim haberet, si a bono auctore proditum esset, diligentem aliquem grammaticum aut alius generis hominem doctum harumque rerum studiosum, etiam si is tertii aut quarti aut posterioris etiam saeculi esset, in librum Horatii carminum vetustissimum incidisse, in quo cum carmina aliquot tota tum de singulis versibus et strophis haud pauca deessent, quae in vulgaribus iisque haud dubie recentioribus libris scripta invenirentur, eamque ob causam haec, quibus aucti vulgares libri essent, suppositicia putasse. Quamquam etiam sic relinqueretur dubitatio, eaque duplex. Nam primum nisi in eodem isto testimonio simul certa carmina et certi versus essent notati, quorum in vetusto libro nullam vestigium esset, merito dubitares, ii, ex quibus nostri libri mss. manarunt, utrum ex incorrupto vetustiore an ex codice adulterinis partibus contaminato profecti essent. Praeterea autem dubium videri posset, vetustus ille liber qui minorem numerum carminum et in multis carminibus minorem versuum habuisset, num fortasse ipse mutilus fuisset, ex mutilato descriptus omissis lacunarum signis, vulgares autem, quod quamvis sero ex integris exemplaribus descripti essent, ipsam integritatem servatam habuissent carminum. Quibus de rebus ut omnino quid probabile videretur dijudicaretur, fieri non posset nisi accurata ipsorum carminum exploratione, ut summa quaestio ad unam fere criticam interpretandi rationem rejiceretur, testimonio autem istiusmodi fere nihil aliud effectum esset, nisi ut interpres suo ut fungeretur officio gravius esset admonitus. Sed omnino istiusmodi nihil usquam proditum est.

Deinde „*causas et opportunitates Horatii per adulterinos versus corrumpendi plures* Peerlkampus *fuisse* ait, *quam cujusquam alterius poetae.*“ *Plures* rhetorice posuisse videtur: attulit duas, quod et multum lectitari ejus carmina sint solita et explicari varieque tractari in scholis grammaticorum et rhetorum; quorum utrumque certe non minus in Virgilium cadere videtur.

---

*) „*Nihil enim Romae geritur, quod te putem scire curare, nisi forte scire vis me inter Niciam nostrum et Vidium judicem esse. Profert alter, opinor, duobus versiculis expensum Niciae: alter Aristarchus hos* ὀβελίζει. *Ego tamquam criticus antiquus judicaturus sum, utrum sint* τοῦ ποιητοῦ, *an* παρεμβεβλημένοι.“ (Epp. ad fam. IX. 10).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed quamvis copiose utrumque locum exposuerit, neutro effecit quod voluit. Etiam aliena in ista copia rerum haud pauca admista esse, quae speciem quandam prae se ferant undique affluentis argumentorum multitudinis, neminem qui diligentius animadvertat fugere poterit. Veluti multa lectione quum factum esse velit ut spuria multa in Horatii carmina inferrentur, idem vero omnem hujusmodi corruptionem, quae etiam in nostris libris deprehendatur, primis temporibus censeat factam esse adeoque mox etiam doctos fefellisse, ut certe jam ante saeculum sextum suppositicia ista pro Horatianis haberentur: sic igitur quum statueret, quid attinebat commemorare, *aevi medii temporibus*, *quum omnis fere doctrina monasteriorum intra parietes contineretur*, *a Christianis codices esse scriptos*, aut, *qui florilegia*, *viridaria*, *specula*, *prata*, *hortos et similes libellos scripserint*, *sententiis eos ex Horatio petitis ornasse*, aut antea, *Hieronymum adeo et Ambrosium diligenter legisse Horatium*, quasi horum lectione fieri poterit, ut adulterinis carmina Horatii contaminarentur.

Verum maxime intelligendum est, totum illud opinionis errore fictum esse, quod ipsa frequenti lectione interpolationes librorum natas esse aut omnino potuisse nasci putavit. Legendo enim et praelegendo, quamvis multi et per multa saecula legant et praelegant, istud genus vitiorum gigni non potest. Sensisse hoc quodammodo ipse videtur, ubi deinde pergit: *Poeta tam frequenti lectione per tot saecula repetitus et in scholis explicatus*, *neque ad intelligentiam omnibus statim apertus*, *manus interpolantium effugere non potuit*. Nam quum antea fere sola de lectione locutus sit, de explicatione autem in grammaticorum et rhetorum scholis dicendi proprius locus deinde sequatur, quoniam difficile erat lectione dicere interpolationes effectas esse, consultius esse duxit quamvis alieno loco illud „*et in scholis explicatus*“ interponere. Sed eodem loco aliud quod gravius est offendit, in quo ut in aliis parum subtilem Peerlkampum disputatorem deprehendas. Nam post ea ipsa quae modo attulimus verba, *Poeta tam frequenti lectione .. repetitus et in scholis explicatus ... manus interpolantium effugere non potuit*, statim sequitur illud, de quo supra diximus, *Jam ante Suetonium ferebantur Elegi et Epistola sub titulo Horatii*. Haec vero ita adjuncta non possunt nisi in hanc sententiam dicta videri, ut probare auctor velit, id ipsum quod modo ante dixerit, multam lectionem atque in scholis explicationem causam fuisse interpolandi Horatii, jam ante Suetonium esse factum hujus ipsius testimonio constare. Omittimus hoc loco de qua ante diximus lectionem: sed qui tandem, quod obscurum aliquem poetam Suetonius narrat Elegos suos pro Horatianis haberi voluisse, eo tamquam testimonio videri potest confirmari, jam Suetonii tempore aut antea in scholis Horatium explicatum esse? aut quid fraudi isti hominis inepti commune fuerit cum honesta carminum Horatii in scholis explicatione?

Sed eodem loco et eo qui sequitur etiam alia multa exposita sunt cum aliena ab eo, quod demonstrandum erat, tum leviter conclusa aut ficta, ut disputatio rursus multitudine et varietate rerum congestarum fallere videatur. Longum est omnia persequi: sed notanda nonnulla sunt. Quod *Vossius ad Catullum pag. 284. vidisse se ait Ms. in quo Seneca quidam dicebatur auctor quatuor versuum initio Virgilianae Aeneidi additorum „Ille ego qui quondam,“* argumento id est Peerlkampo, lucri faciendi causa olim Romae homines

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

literatos finxisse versus, finxisse tota carmina, quae claris poetis supposita venderent bibliopolis, atque exempla carminum ita aucta cupide empta esse ab iis, qui exemplum auctius habere vellent. Satis est admonere, quam mire haec disputata sint. Deinde, quoniam *praeter Horatium alii fuerint Lyrici cum ipsi aequales tum posteriores, Antonius Rufus, Titus Septimius, Passienus Paulus, Caesius Bassus, alii, sed ii Romanis parum probati adeo, ut Quintilianus Horatium e Lyricis solum dignum esse qui legeretur judicaverit*, suspicari se ait Peerlkampus, *nonnulla horum Lyricorum carmina, quae in tabernis jacerent intacta, hic illic Horatianis accessisse.* Hunc locum jam supra attigimus taliaque suspicari frustra esse docuimus. An Quintilianus aut alius veterum quamvis tecte monuit, quod aliquo modo istiusmodi movere suspicionem possit? Immo e Quintiliani verbis illis merito collegeris, ceteros lyricos illos omnes ita dispares fuisse Horatio, ut eorum poemata cum hujus carminibus aequiparare aut etiam cum iis confundere perdifficile esset. At aemulati sunt multi Horatium, et Passienum Paulum Plinius judicavit etiam feliciter aemulatum esse, ut eum alterum Horatium esse putares. Primum Plinii in hoc genere judicium haud ita magni aestimandum putamus: tum vero ex ejus verbis illis qua tandem ratione suspicari licebit, nonnulla Passieni Pauli in ipsis libris Horatii carminum vario modo interposita atque pro Horatianis habita esse? Nimirum si tanta laude Passienus artis lyricae florebat, et ipsius et amicorum ejus plurimum intererat, hanc ipsi vindicare laudem, non obscurare transferendo ad alienum nomen quamvis clarum: praetereaque ipsa admiratio illa felicis aemulationis documento est, accurate comparata Passieni cum Horatii carminibus esse, comparatio autem, accurate discreta illa ab his minimeque cum iis confusa esse; quod discrimen etiam postea mansisse eo magis consentaneum est, quod Horatii carminum quasi canon jam a principio certo constabat, de qua re infra dicetur. Denique accedat tertium, quod de hoc genere eodem loco offendimus. *Quis novit*, ait, *siculi multa accepimus spuria, annon multis etiam genuinis simus privati. Variae res Horatio vivente acciderunt, quas eum non tacere potuisse dixeris*), de quibus tamen nihil legimus. Qui ad Virgilium Athenas proficiscentem pulcherrimum carmen I. 3. scripsit, nonne eundem in reditu mortuum deflevisset**).* Sane non incredibile est, potuisse fieri ut unum alterumve quod aliquando poeta fecisset carmen interiret: sed quum constet singulos carminum suorum libros a poeta ipso editos esse, verisimile videri debet, si non omnia quae unquam finxerit, certe quae ipse digna habuerit quae noscerentur ab hominibus atque posteritati traderentur, omnia eum libris illis complexum esse. Itaque frustra omnino est suspicari, praeter ea quae servata sunt Horatii carmina fortasse alia ab eodem fuisse composita, aut quaerere qui tandem factum credibile sit, ut quaedam, quae ejus animum videantur vehementer commovere debuisse, non carminibus celebraverit. Atqui hoc si facile concesseris, quid tandem Peerlkampum adduxit, ut ad inutilem istam suspicionem aberraret? Scilicet illud unum quum ageret, ut ingentes interpolationes Horatii carminum factas esse persuaderet, etiam hinc aliquid argumenti arripiendum putavit, ut doceret pariter fere verisimile esse addendo atque demendo carmina illa immutata esse, quibus quidem ut addi

*) H. e. *tacere non potuisse.* — **) Immo *defleverit. Sollte er nicht beklagt haben.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

spuria ita demi genuina, atque ut demi genuina ita addi potuerint spuria. Nam nisi sic fere mente eum ratiocinatum existimes, vix exputari potest, quomodo illo loco ad hanc de amissis quibusdam carminibus Horatii suspicionem deductus sit. At, quam istiusmodi artificiis causam firmare conieris, ea nescio an non sit fide digna.

Sed alteram deinde causam interpolationum accessisse dicit eamque maximam, quod *Horatius legebatur in scholis, eumque interpretabantur non modo Grammatici, verum etiam Rhetores.* Quo loco quae exposuit plurima, eorum dicendum est iterum maximam partem nullam omnino vim habere ad confirmandam de interpolationibus suspicionem; quae autem videantur posse talem vim habere, de iis pleraque pro arbitrio sumpta atque ficta ita esse, ut quae quodammodo potuisse fieri non prorsus incredibile sit, ea pro verisimilibus ac propemodum certis sint venditata. Illius generis sunt quae de explicatione aut interpretatione, hujus quae de imitatione sunt disputata. Etenim quod Taciti aetate *ab oratore etiam poetica ornamenta ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolata exigebantur*, et quod *grammatici interpretandi munus sibi vindicantes explicabant significationem verborum, sententiam versuum, mythologiam, historiam, geographiam, metrum, de quibus rebus plerumque dictabant:* ex utroque hoc quid tandem est quod colligi queat de interpolationis causis carminum Horatii? Nam si qua rhetor aliquis verba aut sententias Horatii commendabat, eaque deinde oratores aliqui ad ornandas orationes suas adhibebant; aut si, quae grammatici in scholis de significatione verborum, de sententia versuum, de rebus ad mythologiam, historiam, geographiam pertinentibus explicabant, ea cupide a discipulis accipiebantur et studiose ediscebantur: inde ullumne periculum erat ne ultro versus nascerentur carminaque confierent similia Horatianis quaeque his insererentur posteaque cum his confunderentur?

Sed etiam quae de imitatione dicta sunt, valde cavendum est ne fallant aliamque aut majorem vim ad istam de interpolationibus movendam suspicionem habere videantur, quam accurate aestimantibus ac severe judicantibus produnt res ipsae. Commemorat Peerlkampus, *jubere solitos esse grammaticos eandem sententiam aliis verbis eodem metro dicere, locum communem ex philosophia elaborare, dicentes de temperantia, contra avaritiam, rei alicujus imaginem depingere, describere pugnam, fingere orationem, et similia argumenta ex ipsis, quae legerentur, carminibus petita, quae adeo iisdem carminibus apte interferciri possent.* Tum, *Sicut Rhetores argumentum declamationis hac v. c. formula proposuerint Τίνας ἂν λόγους εἴποι Ἀχιλλεὺς, et Hannibal pueris fuerit declamatio, ut dicat Juvenalis, idem fecisse poetas* [h. e. qui in scholis poeticam docerent]. *Hinc in carminibus toties idem argumentum, easdem imagines et sententias, verbis paullum mutatis, inveniri. Interdum nova data esse argumenta: v. c. „Horatius Maecenatem ad coenam invitat, Horatius se commendat Maecenati,“ et cum argumento simul metri genus constitutum esse.* Deinde, quum jam supra commemorasset, *magistros discipulis exemplo praeisse, ut Horatii recte imitandi modum ostenderent*, sic pergit: *Magistri exploratis discipulorum carminibus sua recitabant. Haec a discipulis cupide excepta exemplaribus Horatii addebantur, primum separata, vel in margine, deinde sensim, ut fit, Horatianis interspersa, tandem pro Horatianis vendita et aestimata.* Denique censet,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ex tam corruptis exemplis et recensionem Agorii et omnia quae adhuc innotuerint Mss. originem ducere. Exempla illa emendatiora, ait, *jam brevi post mortem auctorum fiebant rara.*

In his quaedam esse probabilia nemo negaverit: sed ea ipsa nihil valere dicimus ad arguendum id de quo maxime quaeritur. Reliqua autem, quae si vera et certa essent vel maximam confitendum esset vim habere, accuratius si examinaveris, omnino fide carere reperitur totaque ficta esse pro arbitrio, scilicet vehementer invitante et cogente cupiditate, quae suspicionis ex vitiosa interpretatione natae quovis modo idoneam aliquam commendationem et confirmationem quaereret.

Probabilia fere sola sunt ea, quae de poetarum in grammaticorum scholis tractatione sunt narrata. Etiamsi enim quaedam suo judicio Peerlkampus de rhètorum consuetudine ad grammaticorum poeticae docendae rationem transtulit, tum alia quaedam, quae a veteribus quibusdam aut universe aut de Virgilio commemorata sunt, in quo magis quam in ceteris poetica illa in scholis studia versata esse videntur, erantque dactylici generis metra et poemata ad imitandum faciliora: tamen credibile est, etiam Horatii carmina in grammaticorum scholis fere isto ipso modo, quem callide Peerlkampus significavit, tractata esse. Sed sunt etiam in his nonnulla ita posita, ut cupide eum quaesivisse et de industria effinxisse videas, quae maxime ipsius suspicionibus antea alias ob causas ortis favere viderentur. De hoc genere est, quod grammaticos fingit discipulos suos ad singularem istam calliditatem instituisse, ut ad unum alterumve carmen, quod in scholis tractaretur, ipsi similis argumenti versus aliquot componerent, qui haud inepte ipsi carmini poetae viderentur inseri posse tamquam ab illo scripti atque eo loco positi*). Hujus rei valde mirabilis quis tandem auctor est? Unus is qui eam commentus est Peerlkampus: hic autem ita fieri solitum suspicatus est, ut probabilem causam haberet exterminandi ut spurios versus plurimos, qui ipsi obscuri aut aliam ob causam indigni visi erant Horatio. — Deinde ubi ait, interdum nova argumenta data esse, eorum quod haec potissimum, quae ipse invenit, exempla posuit, *Horatius Maecenatem ad coenam invitat*, *Horatius se commendat Maecenati:* quamquam non incredibile est potuisse talia proponi, certe multo credibilius videtur, istius argumenti carmina quum ab ipso Horatio ad Maecenatem scripta essent, in eorum imitatione alias personas delectas esse et eorum qui scriberent et eorum ad quos esset scribendum.

*) Ne istam nos sententiam malitiosa aut alioqui vitiosa interpretatione tribuisse Peerlkampo videamur, monemus, eo loco ad quem respeximus (Ed. I. p. XVII. v. 15., Ed. II. p. XV. v. 17.) mendose scriptum esse *quae adeo iisdem carminibus apte inferciri poterant* pro *inferciri possent.* Nam sensisse auctorem id ipsum, quod nos supra posuimus, arguunt verba *adeo* et *apte*, ex quibus intelligitur, grammaticos dici *adeo* similia ista fingere jussisse discipulos suos, ut ea *haud inepte* inferciri possent: alioqui enim, si non ad mentem grammaticorum tales versus fingere jubentium illud referri, sed intelligi voluisset, facile fieri potuisse, ut tales versus exercendi ingenii causa scripti postea ipsis carminibus illis infercirentur, scriptum oportebat: „quae *postea* illis ipsis carminibus *facile* inferciri potuerunt“.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Peerlkampus autem cur ista parum probabilia arripuerit, non obscurum est: quippe quum quaedam ipsius istius argumenti carmina, quae in Horatianis feruntur, alias ob causas suspicatus esset spuria esse, ad eam probandam sententiam viam isto modo sibi munire voluit atque praeoccupare animos legentium. — Sed etiam illud animadvertendum est, quod, postquam de exercitationibus illis discentium locutus est, sic pergit: *Hinc in carminibus toties idem argumentum, easdem imagines et sententias, verbis paullum mutatis, invenimus.* Vult igitur, varia quae in eodem argumento versarentur specimina discipulorum postea inter ipsius Horatii carmina recepta et pro Horatianis habita esse. Vellem meminisset, quod supra ipse commemoravit a Quintiliano judicatum, *e Lyricis Horatium solum esse dignum qui legeretur.* Ergone quum spernendos ille ceteros, qui sibi aliquid esse viderentur, poetas lyricos omnes censeret, Peerlkampo credemus, discipulos in scholis grammaticorum carmina potuisse componere, quae similitudine cum Horatianis adeo fallerent tam doctos homines quam indoctos, ut mox pro Horatianis haberentur? At talia neglexit vir in aliis perspicacissimus, quoniam in id unum mens intenta fuit, ut undecunque posset colligeret, quae aliquo modo videri possent suspicionem suam commendare. Offensus enim erat, quod complura Horatii quae feruntur carmina in eodem fere argumento versarentur: quod quum in bono poeta non ferendum putaret, nonnulla eorum, quae ipsi displicerent, in spuriis habenda esse duxit; idque quo facilius persuaderet, talia probare conatus est ex variis discipulorum in scholis speciminibus profecta esse. Sed mireris etiam, potuisse omnino viro eruditissimo in poetisque versatissimo offensioni esse, quod ejusdem poetae carminibus multis eadem argumenta essent tractata. Jucunditas vitae, tristitia mortis, amoenitas veris, dulcedo juventae, convivia, amores, perniciosa vis irae, avaritiae, luxuriae omniumque pravarum cupiditatum, divina vis virtutis, metus deorum et alia de hoc genere, quum omni tempore omnium mortalium animos maxime permoverunt, tum poetis praesertim lyricis perennis fons fuerunt carminum, neque est quod mirere, iisdem de hoc genere rebus eosdem poetas saepius ita esse commotos, ut variis temporibus varia de iis carmina pangerent, quae etiam consentaneum est quodammodo alia aliis esse similia, sed eadem dissimilia ita, ut alia aliis felicius inventa et composita videantur aliaque aliis plerosque magis oblectent. Verum de auctoritate talium carminum dubitandi causa in ipsa similitudine ea quam diximus et dissimilitudine nulla est.

At gravissimi ad confirmandam Peerlkampi suspicionem momenti esse dixeris, quod in scholis grammaticorum *Magistri exploratis discipulorum carminibus sua recitabant. Haec a discipulis cupide excepta exemplaribus Horatii addebantur, primum separata vel in margine, deinde sensim, ut fit, Horatianis interspersa, tandem pro Horatianis vendita et aestimata.* Scilicet a magistris quae facta essent carmina, quibus Horatii ingenium et consuetudinem exprimerent, certe multo meliora fuisse consentaneum est quam discipulorum poemata, ut facilius deinde pro Horatianis haberi possent. Ad haec primum objicimus quod identidem supra commemoravimus de Quintiliani judicio, Horatii in lyrico carmine artem imitari ceteris ita difficile fuisse, ut praeter illum omnes ne qui legerentur quidem digni viderentur: quod quum ab illo de iis, qui se profiterentur poetas lyricos esse, judicatum sit, credibile est, nec grammaticos, qui vel ante vel post Quintilianum vel

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eodem tempore in scholis poeticam docuerint, carmina lyrica potuisse facere ita similia Horatianis, ut facillime cum his ipsis possent confundi. Deinde vero illud quidem omnino credibile est, a discipulis cupide excepta esse, quae magistri proposuissent carmina ab ipsis facta, itemque ea perscripta ab iis diligenter esse. De ceteris vero, quae Peerlkampus adjunxit, quum etiam minora quaedam possint in dubitationem vocari, unum maxime urgendum est, quod nescio an in omni hac quaestione omnium sit gravissimum habendum.

In minoribus illis primum ducimus, quod ut certum posuit Peerlkampus, quae a magistris specimina imitationis essent proposita, ea a discipulis plerumque exemplaribus suis Horatii in margine addita esse. Nam multo probabilius videtur, in singularibus ista libellis discipulorum perscribi solita esse: glossas paucis verbis comprehensas, quae ad certos versus certorum Horatii carminum pertinerent, consentaneum erat in margine Horatii exemplarium ad illos ipsos locos adscribi, totis autem carminibus praesertim longioribus adscribendis nec in margine exemplarium illorum nec in intervallis singulorum carminum satis spatii fuisse credideris. Sed etiamsi credas, nec nos negamus potuisse id fieri, interdum ab uno alterove in scholis discipulo in ipso Horatii carminum exemplo suo magistri poemata adscripta esse, quin etiam consuetudinem hanc fuisse, a plerisque ut id ita fieret: illud valde dicimus incredibile esse, ex talibus potissimum Horatii carminum exemplaribus, quae in grammaticorum scholis tractata et contrita essent quaeque margines multis in locis impletos haberent versibus adscripticiis iisque alia manu scriptis, — verisimile est enim exemplaria Horatii, quibus in scholis uterentur discipuli, a bibliopolis empta fuisse, quum glossae et versus totaque carmina commendandae imitationis causa a magistris facta in scholis sua manu a discipulis, ut quisque posset, adscriberentur: talibus igitur libris talique modo affectis parum credibile videri potest usos esse librarios, ut ex iis nova exempla Horatii carminum describerent. Atque ad summum si lubeat largiri, semel atque iterum factum esse ut unus alterve librarius nescio quam ob causam, fortasse jubente ita discipulo aliquo qui simillimum suo, in quo ipse magistri dictata adnotasset, exemplari alterum munde scriptum habere cuperet, novum exemplar confecerit secundum discipuli istius exemplar, accuratissime additis omnibus istis adscripticiis: illud certe incredibile erit, solitos esse librarios, qui nova Horatii carminum exempla scriberent vendituri hominibus doctis aut bibliopolis, plerumque uti, ex quibus describerent, contaminatis istis et contritis de grammaticorum scholis exemplaribus, quum minime deessent meliores libri, qui istis vacui sordibus atque impedimentis non ita oculos legentium et describentium offenderent. Nam satis magnam integrorum librorum copiam istis ipsis, de quibus cogitavit Peerlkampus, temporibus suppetiisse, vel hac ratione simplicissima tibi persuaseris. Quippe, quae a cujusque grammatici discipulis exempla sua carminum Horatii in scholis usurparentur, ea consentaneum est principio, quum ista inciperent disciplina uti, integra fuisse integrosque habuisse margines, quoniam alioqui novis istis adscribendis plurimis spatium defuisset: ergo quot quoque tempore in scholis grammaticorum juvenes poeticam discebant, tot paullo ante exemplaria Horatii fuerant integra; atque quum haec ipsa ex integris exemplaribus, quibus nondum adscripticia ista de scholis accessissent, descripta fuisse credibile sit, tum praeter ea, ex quibus discipulorum exemplaria descripta erant, quia Horatii lectione

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

omnes delectabantur, satis multa alia exemplaria integra et in bibliopoliis et in bibliothecis doctorum fuisse statuendum erit. Itaque omnis ista vana fuerit suspicio, propter incredibilem paucitatem integrorum Horatii librorum factum esse, ut, qui nova exemplaria scriberent Horatii, librarii plerique ea ex libris describerent a pueris in grammaticorum scholis usurpatis, qui quum multa aliena Horatianis adscripta haberent, postea negligentia hominum imperitorum aliena ista cum ipsis Horatianis commista esse.

Non latet nos, vitio nobis verti posse, quod nimia quadam et putida diligentia ad minutissima quaeque hoc loco descendisse videamur: molesta hujusmodi disputatio est legentibus, quamquam nec scribenti jucunda. Sed intelligi velim, in his ipsis rebus, quas modo persecuti sumus, cardinem verti omnis istius sententiae, quam firmissimis argumentis probasse sibi videtur Peerlkampus, nostros Horatii libros scatere locis spuriis. Nam postquam copiosa disputatione persuadere conatus est, jam a primo tempore post obitum poetae non uno modo multas et magnas carminum ejus interpolationes factas esse, deinde duo ponit, quibus cum illo comparatis jam certa ratione illam conclusionem facit. Horum unum est, mox interpolationes istas tantum non in omnes libros transiisse admodumque raros superfuisse, qui delitescerent, non interpolatos; alterum, ex libris vulgaribus, qui contaminati essent interpolationibus, nostros libros Horatii manasse. Haec vero reputanti facile occurrit, omnium maxime quaeri, verene probatum a Peerlkampo sit illud ipsum, quod primum praemissum est, factas mox esse ingentes istas interpolationes: quod ubi probatum non esse arguitur, consentaneum est, reliquam conclusionem omnem concidere; nam si istiusmodi interpolatio facta non est, nec transferri, quae nulla fuerit, interpolatio in libros plurimos potuit aut rari libri non interpolati superesse, nec, qui postea descripti sunt libri ex non interpolatis, interpolationem quae nulla fuerit ad hanc aetatem propagare potuerunt. Hanc igitur ob causam plurimum intererat quam accuratissime perquirere et excutere omnia ac singula, quibus Peerlkampus adhibita quadam historiae testimoniorum specie probare conatus est, factas istas quas voluit interpolationes esse. Docuimus vero, illud quidem nullo pacto ab eo demonstratum esse, vetere aliquo testimonio constare, interpolata olim Horatii carmina esse: deinde autem, quum summa ejus disputatio in eo versetur, ut ostendat, quo fere modo credibile sit potuisse fieri, ut interpolationibus haec carmina magnopere contaminarentur, demonstratum a nobis est, quae ab illo ut verisimilia et tantum non vera et certa sint posita, propemodum omnia valde esse incredibilia cupideque ob eam unam causam ficta, ut aliquo modo suspicionem propter difficultates quasdam multorum carminum sibi ortam specie quadam probabilitatis historicae commendare posset.

Itaque licebat jam, quae ex falsis praemissis deinde conclusa sunt a Peerlkampo, omnino omittere: sed ne ullam partem disputationis viri clarissimi negligenter habuisse videamur, etiam de iis quae reliqua sunt certe quae gravissima videntur, persequenda putamus.

Maxime ille sua interesse sensit ut persuaderet, ipsum Mavortium, quum recensionem suam faceret, exemplis horum carminum usum esse (nam certe duo ista fuisse statuendum erit, quorum altero ipse, altero qui conferebat uteretur Magister Felix) de isto genere, quod ante finxit misere interpolatum esse, ejusdemque generis ea fuisse exempla, ex quibus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quidam nostrorum codicum manaverint, qui ordinem librorum Horatii diversum habeant a Mavortii recensione. At hoc difficile erat persuadere, hoc est historice confirmare, quoniam in hac hujus quaestionis parte unice de historicis argumentis agitur: nam nihil omnino proditum est de dubia fide librorum, quibus usus sit Mavortius, aut ullam usquam vel illo tempore vel antea de interpolatis exemplis Horatii carminum suspicionem fuisse. Itaque quum nihil istiusmodi compertum esset, Peerlkampus quomodo rem expedivit? Audacter suum arbitrium secutus pronuntiavit ita factum esse, ut ipse voluit factum, quo defenderet et confirmaret suam de vitiis carminum sententiam. *Quodsi hic illic*, ait, *Romae praecipue, exempla emendatiora exstiterint ex vetere aliqua recensione, ea Mavortius et Magister Felix non viderunt a. 530., quo Horatius jam additamentis istis inquinatus manibus hominum versabatur. Ex tam corruptis exemplis et recensio Agorii, et omnia quae adhuc innotuerunt MSS. originem ducunt.* Harum vero rerum nemo auctor est praeter ipsum Peerlkampum, qui, quod ita finxit factum esse, pro vere facto vult accipi. At, inquis, argumenta eaque historica et gravissima deinde explicuit statim post ea quae modo attulimus verba. *Exempla illa emendatiora*, ait, *jam brevi post mortem auctorum fiebant rara.* Omittimus nunc, etiamsi hoc ita contigisse constaret maximeque de ipsorum Horatii carminum exemplis constaret, tamen nihil fore, quod libere judicantem cogeret, ut Mavortium crederet interpolatis potissimum exemplis usum esse; qui quum tanto studio amplecteretur Horatium suum, ut ejus carmina non sine magno labore ipse, vir haud ignobilis, a principio ad finem usque accurate emendaret, credibile est eum curiose operam dedisse, ut exemplaria sequeretur quam posset comparare fide dignissima. Sed maxime quaeritur, quo modo demonstratum illud ipsum sit a Peerlkampo, emendatiora exempla, quae esse vult non interpolata, jam brevi post mortem auctorum rara esse facta: quo in loco rursus levitatem et negligentiam deprehendimus, in quam tanto vir ingenio tantaque doctrina incidere non potuisset, nisi eum incredibili modo fefellisset praejudicata opinio. Affert primum A. Gellii testimonia duo, deinde crebra incendia urbis Romae commemorat. Sed utraque haec vide quam vim habeant ad demonstrandum id, quod ille voluit.

A. Gellii Noct. Att. uno loco I. 21. narratur, Hyginum grammaticum Virgilio fere aequalem *in libro qui fuerit ex domo atque familia Virgilii* scriptum invenisse *„et ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror“*, non *„sensu torquebit amaro“*. At quod istius libri insignis auctoritas laudatur, eo qui tandem videri potest confirmari, jam brevi post mortem auctorum emendatiora exempla facta esse rara? praetereaque quae illo loco diversitas notata est veteris illius libri a recentioribus ea ad unius vocabuli scripturam pertinet, non ad interpolationem, de qua omnis haec est quaestio. Altero autem loco N. A. II. 3. idem Gellius narrat, *Fidum Optatum grammaticum ostendisse sibi librum Aeneidos secundum mirandae vetustatis, emptum in Sigillariis XX. aureis, quem ipsius Virgilii fuisse crediderit.* Ad quae admonuit Peerlkampus: *Fidus ille Optatus Gellio aetate erat major. Gellius jam florebat a. 120. Igitur MS. centum fere annorum erat mirandae aetatis.* Quid quaeso hoc ad rem? An ex eo, quod unum illum librum centum annos durasse accipimus, colligas, minus vetustos et multo post descriptos libros omnes aut plerosque plurimis turpissimisque interpolationibus esse foedatos? Num ipsum tempus vim habet inter-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

polandi, ut id quo longius procedat, eo plus afferat interpolationum? Conterebantur aut aliter consumebantur et interibant veteres libri: sed qui novi describebantur, iis propter progressum temporis spuria esse inserta temere suspicere, nisi alias causas accessisse certis argumentis possis arguere. Sed idem hic locus A. Gellii velim animadverti quomodo insigne contra Peerlkampi de maturis interpolationibus suspicionem argumentum suppeditet. Accipimus A. Gellium vetustum illud Virgilii exemplum, quod magna pecunia emptum habuerit Fidus Optatus, accurate perlustrasse, ut cognosceret, quibus rebus differret ab aliis vulgaribus et multo recentioribus. Quid igitur? si in vetusto illo exemplo versus aliquot omissos repperisset, quos haberent recentiora exempla, nonne merito credideris-rem ita memorabilem eum observaturum et notaturum fuisse et suspicaturum de interpolatione recentiorum exemplorum? At ille nihil hujusmodi offendit, nec quidquam dignum de vetusto isto exemplo quod commemoraret habuit, nisi quod in versu Virgilii *Pyrrhus Exsultat telis et luce coruscat aëna* scriptum reppererit *aëna*, sed *additam supra viderit h literam et ahena factum.* Quodsi objeceris, illo loco (II. 3.) istud unum A. Gellio curae fuisse, quum disputaret de antiqua inspiratione quorundam vocabulorum: verum id quidem est, sed non minus certum videtur, idem si singularia quaedam vetusti illius exempli majoribus in rebus repperisset, de eo non taciturum fuisse. Tum vero etiam magis videndum est de Fido Optato grammatico. Eum cognoscimus studiosissimum fuisse bonorum librorum: emit exemplum illud vetustum libri Virgiliani magno pretio, ergo magni ipsum fecit, magnaeque auctoritatis esse putavit: quanto igitur studio, quanto ardore hominem et doctum et curiosum in hoc genere statim recens emptum vetustum illud exemplum censes perlustrasse ac deinde diligenter perscrutatum esse comparantem accurate cum vulgaribus tum exemplis, ut exquireret quaecunque carissimus ille sibi liber haberet peculiaria, quibus praestaret recentioribus horumque auctoritatem elevaret? Ita quin factum sit nemo dubitaverit, qui norit quid in tali re non modo consentaneum, sed necesse sit fieri. Ergo si Fidus Optatus in perscrutando vetere exemplo suo quosdam desiderasset versus, qui essent in recentioribus, ac proinde haec suspicatus esset interpolatione aucta esse, quovis pignore contendere licet, quum vetustum illud exemplum Gellio amico ostenderet, primum et magno cum gaudio, quod gravissimum esset, eum moniturum fuisse, hujus nuper empti exempli auctoritate interpolationes quasdam argui vulgarium exemplorum recentiorum. At secus Gellius testatur, qui nihil hujusmodi prodit. Admiranda in illo exemplo una fuit vetustas: praeterea ejus auctoritas magna visa est ad testandam antiquam scripturam vocabulorum quorundam: de interpolationibus vero recentiorum exemplorum comparatio cum his vetusti illius libri nullam usquam suspicionem attulit. Ergo luculento hoc exemplo docetur, non tantum potuisse fieri, sed revera factum esse, ut libri alicujus veteris poetae latini, quamvis ejus carmina interea in grammaticorum et rhetorum scholis multum essent tractata, etiam centum annis post, quam esset editus, in exemplis sero descriptis integritas servaretur ea, quae ad numerum pertinet versuum et verborum nec auctum nec minutum, denique ut nec mox post obitum auctoris nec per centum fere annos, non dico ingens, sed ulla fieret interpolatio. Quodque in secundo ita libro Aeneidis factum esse videmus, id nihil impedit quominus eodem modo in ceteris libris Aeneidis atque, ut opinor, etiam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in Horatii libris credamus factum esse, ut librarii plerumque simpliciter verba describentes tantum in literis multum errarent atque ita verba multis modis corrumperent. De interpolationibus autem ne leviter ac temere statuatur, ille Gellii locus quaeque ex eo certo colligi possunt, gravissime admonere videntur.

Sed plurimum valere dixeris, quae deinde Peerlkampus apposuit. *Praeterea*, inquit, *Romae diu ante Mavortium multa acciderunt libris et Bibliothecis perniciosa. Ne dicam de odio Caligulae et Hadriani adversus praestantissimos historicos, oratores et poetas, qui ante Augustum et Augusto vivente fuerunt, ut taceam bella et populorum barbarorum incursiones in Italiam, quam multa incendia magnas urbis partes deleverunt? Imperatore Tiberio flamma bis saeviit; Nerone, per septem noctes et sex dies; Vitellio, arsit Capitolium; Tito, ignis triduum et totidem noctes grassatus est; Commodo, plurimos dies. Tot incendia tam diu continuata, quantam librorum multitudinem in domibus privatis, quantam in Bibliothecis publicis deleverunt. Novimus varia templa conflagrasse. In templis autem erant Bibliothecae.* Nota sunt ista, quae faciunt, ut etiam admiremur, per omnia illa discrimina rerum omnino tantam copiam optimorum ingenii monumentorum ad hanc aetatem potuisse servari. Sed ingentem istam veterum librorum jacturam quid tandem attinet commemorare, ubi demonstrandum est, brevi post mortem auctorum pleraque exempla interpolationibus corrupta fuisse et pauca admodum mansisse integra, ut fieri non potuerit, quin Mavortius interpolatis sit exemplis usus? Certe jam factam fuisse magnam istam librorum corruptelam ante incendiorum illorum tempora, non potest eo argui, quod postea sint ea incendia facta. Verum etiamsi concedamus, quod non concedimus, haud ita multo post obitum poetae maximam partem ejus carminum exemplarium ista de grammaticorum scholis additamenta confusa habuisse cum ipsis Horatianis: quam miram flammarum calliditatem fuisse finxeris, si eas hunc delectum habuisse suspicere, ut integra potissimum istiusque corruptelae generis immunia exempla consumpserint, corruptis autem isto modo plerisque benigne pepercerint? Objeceris vero commemoratum a Peerlkampo esse, istis incendiis identidem templa conflagrasse, in quibus bibliothecas publicas fuisse constet, in iisque integra principio exempla probabile videri deposita fuisse. Hoc quidem nemo erit quin concedat. At quum ipsa Augusti aetate in urbe milia exemplorum Horatii carminum fuisse credibile sit, eorum certe perexiguam partem existimandum erit in bibliothecis publicis fuisse depositam, ut templorum conflagratione, quamvis magna omnino copia librorum absumeretur, tamen ipsorum Horatii carminum exempla haud ita multa possent interire: nam incredibile est, in eadem quaque bibliotheca publica unius scriptoris centena ejusdem operis exempla deposita fuisse. Deinde vero, quum eodem loco commemoratum a Peerlkampo sit, propter metum incendiorum *nonnullos libros suos in thermas et balnea portasse, loca propter parietes lapideos densiores et aquae copiam tutiora:* num in istis quoque privatorum libris singulari fortunae iniquitate factum credemus, ut corrupti potissimum conservarentur, integri variis casibus interirent? Denique haec si aequo judicio expenderis, non dubium erit, quid existimandum videatur de conclusione ista, quam subjecit huic loco Peerlkampus: *Quare numerus bonorum MSS. insigniter minutus est, et una aetas, semper altera pejor* [h. e. et altera quaeque aetas pejor altera] *stirpem procreavit viliosi-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

orem, qualis universa jam erat ante Mavortium. Immo, opinor, meminisse oportebat, quum tanta ab initio esset Horatii carminum admiratio eaque in dies cresceret, ingentem haud dubie exemplorum ejus carminum numerum, dum ipse viveret, descriptum esse, quae incredibile est jam tum spuriis potuisse contaminata esse, quum ipse auctor sua tueri, aliena refutare posset, adessentque amici admirantiumque catervae, qui idem curarent »valdius ipso«. Praeterea autem non omittendum est, non minorem fortasse quam in ipsa urbe Roma exemplorum numerum carminum Horatii mox, atque etiam superstite ipso, per omnem Italiam divulgatum, et porro etiam in provinciarum oppida nobilissima copiam haud exiguam propagatam esse: atque his milibus exemplorum certe non nocuerunt incendia urbis Romae. Sed de his rebus etiam infra dicendi locus erit.

Deinde vero docte et accurate expositum a Peerlkampo est de Vettio Agorio Basilio Mavortio ejusque recensione carminum Horatii. In qua disputatione duo maxime animadvertenda putamus, quae, opinor, nemini non probaverit: unum, quod operam Mavortii et Felicis, quo ille adjutore usus est, omnem in corrigendis pravis lectionibus versatam nec ultra verborum emendationem sui exempli progressam esse censet: (putes, etiam alterum exemplum id, quod conferebatur in recensendo a Felice, simul correctum esse). Alterum est, quod, secus ac R. Bentlejus et cum hoc alii, non omnes, qui hodie supersunt, Horatii libros manu scriptos ex una illa Mavortii recensione manasse statuit. Recte enim judicasse videtur, quum plerique codices nostri speciem prae se ferant communis ex uno archetypo originis, quem credibile partimque testatum est ipsum illum a Mavortio emendatum fuisse, certo indicio esse videri, alios quosdam nostrorum codicum diversam ab illa recensione auctoritatem secutos esse, quod in iis ordo aliter institutus sit librorum, quibus genera varia poematum Horatii continentur. Sed in hanc rem si accuratius inquiras, plus quam Peerlkampo visum est et majora quaedam videntur colligi posse: de quo mox viderimus.

Jam enim finem licet imponere huic loco, quo refutare propositum erat Peerlkampi disputationem eam, qua historice probare conatus est, ingentes olim carminum Horatii interpolationes factas esse et per omnes qui hodie supersint codices esse propagatas. Quorum postquam neutrum probatum esse satis demonstrasse nobis videmur, unum quod huic conjunctum est superest ut persequamur. Quippe adversus ea, quae pro arbitrio sumpta ac ficta sunt a Peerlkampo, jam videndum est, quid revera de fide librorum, ex quibus et olim et postea descripta sint carmina Horatii, statuendum videatur, si nullis praepeditus inanibus opinionibus simpliciter observes et constanter urgeas ea, quae certis historiae documentis comperta habemus, tum vero, ex his quae colligi possunt, ea severo judicio secundum id, quod maxime ipsarum rerum et temporum ratione commendatur, metiare, diligenter ubivis cavens, ne qua cupiditate deceptus ad fingenda vel minima aberres, quae quum nusquam sint prodita tum etiam abhorrere a veritate aut probabilitate videantur.

Hanc igitur rationem si sequare, non opus est per multas ac tortuosas vias, quin per avia loca vagetur oratio, ut Peerlkampi disputatio: sed pauca sunt opinor et admodum simplicia, quae rem continent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ac principio unum omnium gravissimum est, quod certo constat, carmina Horatii ab ipso esse edita et quidem singulos eorum libros, quorum pauca quisque haberet carmina, singulatim; tum editis iis libris ipsum per multos annos fuisse superstitem; denique haec carmina et dum viveret poeta et postea cum incredibili ab omnibus admiratione accepta esse.

Attigimus haec partim jam supra, notaque sunt omnia, ut confirmari non opus sit: sed admonendum hoc loco videtur, quantam vim habeant ad demonstrandum et illustrandum id de quo quaeritur. Admiratio carminum fecit, ut exempla carminum librorum vehementer ab omnibus expeterentur, eorumque magna copia per urbem divulgaretur latiusque per Italiam et in provincias propagaretur: id autem quod jam principio factum est et per multos annos dum vivebat poeta, quodque libri singuli singulatim edebantur, insigni praesidio fuit integritati carminum tuendae, ne aliena pro Horatianis admiscerentur. Denique, ut statim hoc loco adjiciamus quae reliqua sunt, firmam illam ab initio atque perpetua omnium admiratione tutam et munitam nobilissimorum carminum auctoritatem, in ipsa historia librorum Horatii nihil omnino causae est, quin credamus porro integram esse servatam usque ad ipsa illa tempora, quibus et Mavortius recensionem suam fecit et exempla descripta sunt ea, quae diversis ab hac recensione codicibus nostris archetypa fuerunt. Nam omnis ista quae de interpolationibus exstitit suspicio omni caret fide historica merisque in conjecturis versatur interpretum: quos si demonstrari potest suis in interpretando et judicando erroribus plurima pro vitiosis et spuriis habuisse, nullam omnino ista suspicio vim habet ad labefactandam fidem librorum. Tum vero minime contemnendum est, quod ex ipsa diversitate quadam quam supra attigimus codicum nostrorum accedere momentum videtur ad commendandam et tuendam auctoritatem horum quae nobis tradita sunt carminum Horatii.

De his certe quaedam accuratius explicanda sunt. Erat illa nova species carminis lyrici latini, quo Horatius *princeps aeolium carmen ad italos deduxit modos*)*, vehementerque animos commovebat mira illa vis graeci carminis felicissime patrio sermone ad Romanorum ingenia et mores temporumque illorum rationem accommodata, insueto modo nunc suaviter mulcens, nunc divinitus erigens animos atque corroborans. Itaque brevi tempore factum est ut illa carmina in omnium ore essent, atque ipse testatur, *Romae principis urbium Dignatur suboles inter amabiles Vatum ponere me choros*, et deinde, *Quod*

---

*) Non absonum videtur ad illum locum Carm. III. 30. admonere, quod latuit interpretes, non fortuito aut temere factum videri, quod poeta in significanda patria Apulia, quam multis modis significare poterat, potissimum *Daunum* regem quique *pauper aquae agrestium regnaverit populorum* nominavit. Observes, quod his statim subjunxit quoque id verborum delectu dixerit, in eadem se terra natum *ex humili potentem* principem aeolium carmen ad italos deduxisse modos; et non poteris dubitare, quin callida comparatione usus poeta significaverit, ea in terra, in qua olim *regnum* habuerit *impotens* Daunus siticulosi agri incolis rudibus et incultis imperans, se obscuro loco natum *potentem exstitisse vatem*, carminumque suarum laude ignobilem praeterea patriam suam magis quam olim Dauni regno nobilitatam esse. Haec vero ratio quem non latuerit, facile judicabit, quo jure duos illos versus Peerlkampus ut obscuros et ineptos pro spuriis habuerit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

monstror digito praetereuntium Romanae fidicen lyrae).* Ergo omnes norant poetam. Unde norant? Ex carminibus, puto. Hinc autem, quamvis concedas multis eum praelegendo, plurimis fama cognitum fuisse, quantam censes carminum Horatii copiam exemplarium per

---

*) Hoc loco Carm. IV. 3. vereor ne distinctio partium orationis, quam interpretes alii aliter fecerunt, non conveniat ei, quam poeta in his componendis secutus esse rationem videtur. Equidem gravius, per colon, interpungendum puto post v. 21. *totum muneris hoc tuum est*, deinde levius per comma post v. 23. *romanae fidicen lyrae:* ut totius hujus orationis a v. 17. duae sint partes majores; una haec, »o Pieri, totum hoc (quod ante dictum est, quod Romae suboles ipsum inter amabiles vatum choros ponat) muneris tui est;« altera haec, quae cum anaphora *quod* particulae bipartita est, »quod monstror digito..., quod spiro et placeo, tuum est«. Movet ut ita statuamus praecipue unum. Nam nescio quomodo vel languere vel frigere oratio omninoque parum apta et elegans videri debet, si gravissimum illud »*totum muneris hoc tui est*« potissimum et solum referatur ad *digitorum monstrationem praetereuntium*, quae isto modo in fine orationis etiam majore quadam cum vi posita fuerit. Quod contra constat ratio conveniensque et rei ipsi et artificio poetae oratio restituitur, si gravissimum hoc »*totum muneris hoc tui est*« ad magnum illud quod ante positum est »*Romae principis urbium... invido*« refertur. His autem, quae v. 13—21. continentur, deinde quae v. 22—24. subjecta sunt quum amplificationem contineant ejusdem sententiae cum exaggeratione quadam, in hac orationis parte aptissime factum est, quod illud quasi manifestum admirationis indicium, quod digitis monstrent praetereuntes, ab initio est positum, quum claudat orationem quod quamquam simplicius et sedatius dictum est, tamen multo majus est »*quod spiro et placeo*«. Praeterea observandum est, hoc quem nos commendavimus modo etiam concinnitatem orationi restitutam fore, quam difficile est non videre quaesitam a poeta esse, ut utraque pars omnis hujus orationis similem conclusionem habeat: nam ab illo *totum muneris hoc tui est* alterum *tuum est* non differt nisi brevitate. Denique si vulgari modo, quae postremis versibus tribus poeta complexus est, explicare lubet, fere hujusmodi oratione utare: „Quin quod adeo me omnes norunt et admirantur, ut vel digito praetereuntes monstrent ambulantem ut clarum illum lyricum poetam romanum, omninoque quod jam *majore quodam modo vitalis mihi vita et beata est insigni approbatione carminum meorum*, id non meo ingenio aut studio, sed unice divino debeo beneficio musarum".

Nam de verbi »*spiro*« vi non dubito quin errent, qui id statuunt fere idem significare ac *spiritu poetico moveor.* Constabit abhorrere hoc ab usu verbi spirandi simpliciter positi, donec certis exemplis secus fuerit persuasum, quae nulla inventum iri credimus: nam alius generis est *tragicum spirare*, alius usus nominis *spiritus.* Permire Ritterus comparavit Carm. IV. 2. *multa Dircaeum levat aura cygnum*, quasi ei aurae »sublimem ferenti cygnum in altos nubium tractus« quidquam commune sit cum »spiritu Grajae camenae« aut »spiritu a Phoebo dato«: parumque constanter Dillenburger, qui etiam de *spiritu poetico* cogitavit, comparavit Ovid. Trist. IV. 10, 115. »*Quod vivo durisque laboribus obsto, gratia, musa, tibi;*« quo loco »*quod vivo*« est »quod super-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

unam urbem Romam divulgatam fuisse, quum non tantum doctos homines, sed etiam qui se haberi inter doctos vellent, illius carminum libros lectitasse ac proinde comparatos sibi habuisse credibile sit. ——*)

---

stes sum«. Mea sententia apud nostrum illud »*Quod spiro et placeo*« elegantius dictum est pro »*Quod vivo et placeo*«: sed ut *vivere* dici potest cum emphasi, ut sit »vere ac plenius vita frui,« quemadmodum noster Epist. I. 10. 8. dixit »*Quid quaeris? vivo et regno, simul ista reliqui, Quae vos ad caelum fertis*«: ita hoc loco *spiro* verbum positum puta eo ipso quo supra modo interpretati sumus.

---

*) Dehinc quae secutura erant, recidi jussit necessitas, quum jam ultra terminum huic scriptioni positum evagati finem facere cogeremur. Itaque quum paucae paginae superessent, optione data relinquenda putavimus eorum quae supra promisimus duo, ut ne omnino omitteretur tertium id, quod in ipsa inscriptione hujus libelli promissum est. Nam postremo quae eramus amplius explicaturi, quibus quam institueramus disputationem absolveremus, eorum certe capita jam sunt indicata: quamquam illud potissimum intererat demonstrare, quomodo ex diversitate codicum nostrorum eorum, qui ordine Horatii librorum aliter instituto a Mavortii recensione discedunt, argumenta quaedam colligi posse viderentur, quibus auctoritas carminum nobis traditorum nescio an insigni modo defendatur. Sed quum hoc alio tractare loco propositum sit, tum alterum illud differendum est, quod initio promisimus deinceps nos demonstraturos esse, Peerlkampi de interpolationibus Horatii suspicionis causam unam maximam in eo positam esse, quod suo errore sententiam atque artem poetae non recte perspectam habuerit. Cujus rei exemplum delegeramus grande illud carmen *Odi profanum vulgus et arceo:* in quo simul aliorum interpretum errores imprimis duos refutare propositum erat, unum eorum qui eo carmine maxime justitiam supremi deorum in exaequandis diversis hominum sortibus apparentem defendi voluerunt, alterum eorum qui prima stropha prooemium contineri putarunt non unius hujus sed simul quinque eorum quae sequuntur carminum. Sed hoc interpretationis criticae munus quum mox per omnes libros carminum Horatii administraturi simus in commentariis, quos illis in nostram linguam translatis adjiciemus, interea aptine omnino satisque instructi ad Horatium recte interpretandum videamur, idoneis arbitris etiam ex iis, quae supra in adnotationibus exposuimus, quodammodo judicare licebit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Die nachfolgenden Stücke wollen, wie in dem Vorstehenden gesagt ist, als Proben einer vollständigen Uebersetzung sämmtlicher Oden des Horatius gelten, welche der Verf. seit 15 Jahren in seinen Papieren ruhen liess, jetzt aber auf Anregung von besonders lieber Seite zu veröffentlichen entschlossen ist, versehen mit Erklärungen zum Verständniss namentlich der Absicht und der Anlage, wie des Geistes und Tones eines jeden Gedichtes, unter besonderer Berücksichtigung der Antastungen durch die neuere Kritik und mit Rechtfertigung gegen diese.

Der Verf. übersetzte von Anfang ganz frei aus dem Dichter heraus, nur mit den Weihen zur Sache, die er einst bei Gottfried Hermann schöpfte, und lernte selbst Voss, wie alle späteren Uebersetzer, erst nachmals kennen: aber diese Kenntnissnahme bis auf Freih. v. Nordenflycht herab, wie viel er auch des Schönen fand, hat ihn zuletzt mehr angetrieben als zurückgehalten, seine eigenen Versuche bekannt zu machen. Namentlich hat nach dem Harten und Schroffen von Voss vielfach eine Leichtigkeit und Glätte Platz gegriffen, welche bald allzuweit in das Moderne, bald in das absolut Platte schlägt und oft kaum Spur lässt von Geist und Ton der Originaldichtung und antiker Lyrik überhaupt. Wie doch kann man z. B. das weihevolle Justum et tenacem propositi virum, *übersetzen:* „Den Biedermann, der fest und beharrlich ist“? *gleich dem „Herr Bacchus ist ein Biedermann“. Ich nehme: „Den Mann gerecht und fest in beschlossnem Rath“. Oder was ist für III. 2. 3, 4. ein „Lasst früh sie schon zu Pferde sitzen“? Es fehlt so viel ein innerlicheres Verständniss selbst der Sprache und noch mehr des besonderen Charakters dieser Poesie und der einzelnen Gedichte, wie andererseits der rechte Kunstfleiss und das nöthige Feingefühl für das Formtreffen in der unglaublich viel vermögenden Muttersprache. Der Mängel auch der eigenen Leistungen ist der Verf. sich wohlbewusst und er fand bei aller liebevollen Hingebung gar Manches auch für sich unerreichbar in gehörig entsprechender Form.*

In Sachen der Versmaasse hat der Verf. nicht Anstand genommen, hinsichtlich der Cäsuren und der Zulassung der syllaba anceps *auf die grössere Freiheit der Griechen zurückzugehen: für das Prosodische aber ist auch sonst zuweilen, um nicht wichtigere Vortheile zu opfern, ein Vollaut in Stellen der Kürze zugelassen, wenn nur der Forderung des Wortaccents genügt war. — Auf die Wort- und Formentreue ist Grosses gegeben: nur wo deren Befolgung gegen die von dem Dichter beabsichtigte Wirkung streiten oder ein Undeutsch bringen würde, ist grundsätzlich von entsprechenden Substitutionen Gebrauch gemacht, so in der Wahl des Ausdrucks, so im Redebau.*

Ode III. 1.

Fern sei der Ungeweihten verhasste Schaar!
Rings heil'ges Schweigen! Nimmer vernomm'nes Lied
Will ich der Musen heil'ger Priester
Singen den Jungfrauen und den Knaben.

Furchtbare Kön'ge herrschen dem eig'nen Volk,
Den Kön'gen selber herrschet Diespiter,
Hoch triumphirend den Giganten,
Schütternd das All mit der Augen Brauen.

Wohl ordnet ein Mann weiter, denn andere,
Baumreih'n in Furchen, und in das Wahlgefild
Tritt edlerer Geburt der eine,
Besseren Sinnes und Ruf's der andre

Zum Ehrenkampf, und gröss'rer Clienten-Schwarm
Folgt dort: nach gleichem Maass die Nothwendigkeit
Erloost die Hoh'n, die Nied'ren, aller
Namen bewegt die gewalt'ge Urne.

Wem über frevlem Nacken gezückt das Schwerdt
Hernieder hängt, nicht wird Syrakuser-Mahl
Zu süssem Reiz den Gaumen zwingen,
Nicht ihn der Vögel, der Zither Lieder

In Schlummer wiegen. Schlummer gelind und leicht
Gern in den Hütten ländlicher Menschen wohnt
Am schatt'gen Bach, im stillen Thal wo
Zephyre fächeln im wonn'gen Tempe.

Wer nur begehrt, was g'nüget, ihm störet nicht
Das Meer in Aufruhr tobend des Herzens Ruh,
Noch wild im Untergang Arcturus
Stürmend, und rasend des Widders Aufgang;

Nicht ob des Weines Berge der Hagel schlug,
Nicht ob die Fluren trogen, da bald der Baum
Die Wasser anklagt, bald ein Land-aus-
dörrend Gestirn und die bösen Winter.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Verengt das Meer empfindet der Fische Volk,
Wo tief im Grunde dränget der Bauten Last:
Hier emsig senkt der Meister Quadern
Sammt den Gesell'n und der stolze Bauherr,

Den Mutter Erd' anekelt. Doch Furcht und Dräu'n,
Sie schreiten mit, wohin auch der Herr, und nicht
Weicht von dem eh'rnen Schiff und sitzt hart
Hinter dem Reiter die schwarze Sorge.

Wenn nun dem Weh nicht Phrygiens Marmor, nicht
Purpurgewänder leuchtend wie Sternenglanz
Lind'rung gewähren, noch Falerner-
Reb' und Achämenes duft'ge Salben:

Was doch mit stolzen Pfosten und neugestalt
Soll ich erhab'ne Hallen mir auferbau'n,
Was tauschen mein Sabiner-Thal mit
Prunkenden Schätzen voll Müh' und Sorgen?

III. 2.

Drangsal der Armuth dulden mit Herzenslust
Soll stark der Bub' in rüstigem Waffenspiel
Erlernen und die wilden Parther
Tummeln zu Ross mit dem Speere furchtbar,

Und unter Himmels Dache das Leben und
In Nöthen führen. Dann von der Feinde Burg,
Wo ihn des kriegenden Tyrannen
Gattin erschaut und die zarte Jungfrau,

Erseufzt sie: »Weh, weh, dass nur den Löwen nicht
Der kampfunkund'ge fürstliche Bräutigam
Den unnahbaren reizt, den blut'ger
Grimm in des Mordes Gewühle fortreisst!«

Süss ist's und ruhmvoll sterben für's Vaterland:
Der Tod ereilt die flüchtigen Männer auch,
Und schonet nicht, wo feige Jugend
Wandte das Knie und den scheuen Rücken.

Der Mannesmuth, unkundig versagter Würd',
Er strahlt in Ehren lauter und unbefleckt,
Und nimmt nicht oder leget nieder
Herrschergewalt nach Geheiss der Volksgunst,

Und Männern würdig nimmer den Tod zu seh'n
Den Himmel öffnend bricht er die kühne Bahn,
Und aus gemeinem Tross und niedrem
Sumpfe enteilt er erhabnen Fittigs.

Auch bleibt getreuem Schweigen ein sich'rer Lohn.
Nicht soll, wer frevelnd Ceres der heiligen
Geheimniss austrug, unter gleichem
Dache mir weilen, noch mit mir lösen

Den schwanken Nachen. Oft hat Diespiter
Im Zorn die Unschuld Schuldigen zugesellt,
Und selten liess den eil'gen Sünder
Hinkenden Fusses entgeh'n die Rache.

I. 31.

Was wünscht im neugeweiheten Heiligthum,
Was fleht der Sänger, spendend des jungen Wein's,
Von Gott Apollo? Nicht der gold'nen
Saaten Sardinia's üpp'gen Segen,

Nicht Rinderpracht der heissen Calabria,
Nicht Gold des Inderlandes und Elfenbein,
Nicht Fluren, die des sanften Liris
Wasser bespülen in leisem Strömen.

Calener Reben mag, wem das Glück es gab,
In Lust beschneiden, und aus dem Goldpocal
Der reiche Kaufmann gründlich leeren
Weine getauschet um Syrien's Waaren, —

Fürwahr ein Götterliebling, von Jahr zu Jahr
Dreimal zu schau'n und viermal die Atlasfluth
So ungebüsst. Mich labt Oliven-
Kost und Endivien und linde Malven.

Was mir beschieden, lass mich, o Leto-Sohn,*)
Gesund geniessen, ach und, das flehe ich,
Mit lichtem Geist, und ohne Schanden
Grauen das Haar und im Spiel der Saiten.

*) Es zog hier, zu setzen „lass mich, du frommer Gott" nach dem grossen Heermannschen Liede, „O Gott, du frommer Gott", zumal, da dieser Gedanke hier, nur in weit verschiedenem Gemüths- und Farbenton, so deutlich an dessen V. 1. und 6. anklingt, bis auf das Letzte „Auf dass ich tragen mag mit Ehren graues Haar". — Bei Str. 1. und 2. gemahnt es an das Gellert'sche „Ich bitte nicht um Ueberfluss und Schätze dieser Erde".

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

III. 16.

Einst im ehernen Thurm hinter dem Eichenthor
Unter ew'gem Gebell schauriger Hunde-Wacht
Sass in sich'rem Gewahr Danae wohl geschützt
Wider Buhlen in dunkler Nacht,

Wenn des Hüters, wie treu auch er die Maid versteckt,
Des Akrisius, nicht Venus und Jupiter
Höhnend lachten; denn frei werde der Pfad und leicht,
Wo sich wandle der Gott in Geld.

Mitten schreitet das Gold durch der Trabanten Schaar,
Und durch Felsen hindurch bricht es gewaltiger
Als der schmetternde Blitz. Jäh' in's Verderben fiel
Des Argivischen Sehers Haus

Um den schnöden Gewinn. Thore der Städte sprengt'
Und warf Fürsten vom Stuhl des Macedoniers
Gold'ne Spend': in des Meers Flotten die Führer wild
Fängt in Schlingen des Goldes Sold.

Wächst das Gold, auf dem Fuss folget die Sorge nach
Und der Hunger nach mehr. Recht, dass mich schauderte
Hoch zu tragen in weitstrahlendem Glanz das Haupt,
Mein Mäcenas, der Ritter Zier.

So viel mehr sich versagt jeder, so viel empfängt
Von den Göttern er mehr. Dort, wo man nichts begehrt,
Such' ich nackend den Hort, flüchte frohlockend mich
Aus dem Lager der gold'nen Schaar,

Bei verachteter Hab' immer ein gröss'rer Herr,
Als wenn allen den Fleiss pflügender Appuler
Ich, gepriesen dem Volk, hehlt' in den Speichern mein,
Reich an Schätzen ein armer Mann.

Reinen Wassers der Bach, weniger Joche Wald,
Und mein immer mir treu lohnendes Saatgefild,
Ist im Stillen ein Loos seliger als ein Reich
Uepp'ger Fluren in Africa.

Ob auch Honig mir nicht tragen Calabriens
Duft'ge Bienen, noch mild lagere Bacchus auf
Lästrygonischem Fass, noch mir auf Gallischen
Triften fetteres Vliess gedeih':

Bleibt unholder Gestalt doch mir die Armuth fern,
Und nicht, wünschte ich mehr, wiesest du ab den Wunsch.
Besser durch der Begier Schranken in's Weitere
Strecken kleineren Gut's Ertrag,

Als wenn weit ich geböt' in Alyattes Reich
Sammt Mygdoniens Flur. Immer, wer viel begehrt,
Dem viel fehlet. Beglückt, wem da mit karger Hand,
Was genüget, der Gott verlieh.

I. 32.

Auf! es ruft. Wenn je ich in kühlen Schatten
Süss mit dir getändelt, was dieses Jahr noch
Lebt und länger, töne, wohlan, ein Römer-
Lied mir, o Laute,

Du zuerst dem Lesbier hold erklungen,
Der, ein Kriegesheld, doch im Waffenklirren
Oder wenn nach Sturm er das lecke Fahrzeug
Barg am Gestade,

Bacchus sang und Musen und Huldin Venus
Sammt dem immer kosend geschmiegten Knaben,
Und auch Lycus brennend aus dunklem Aug' und
Funkelnden Locken.

O Apollo's Zier und den Mahlen Jovis
Immer holde Laute, o du der Schmerzen
Süsse Trösterin, wo ich fromm dich rufe,
Grüsse mich freundlich.

Zur Vergleichung an Einzelnem.

III. 16. Str. 1. — Voss: Strodtmann: v. Nordenflycht:

Jener Danae Reiz hatte der eh'rne Thurm,
Starker Pforten Verschloss, und ungesänftigter
Doggen wachsame Hut, sicher genug verwahrt
Vor der Lieblinge Nachtbesuch —

G'nugsam hätte des Thurms eherne Festigkeit
Sammt eichbohlener Thür und der bewachenden
Hund' unfreundliche Hut Danaens Haft geschirmt
Vor nachtliebenden Buhlern, wenn —

Konnte Danae wohl strenger behütet sein
Vor den Buhlen der Nacht, als in dem Thurm von Erz,
Hinter einsamem Thor, unter dem trüben Bann
Ewig wachender Hunde, sprich? —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf